

*Hubert Schmidt*

ju 21/92  
for Vista 10  
14

# DISSERTATIONES

## PHILOLOGICAE HALENSES.

---

VOL. XII PARS I.

---

HALIS SAXONUM.

MAX NIEMEYER.

MDCCCLXXXI.

Aus dem Verlag von MAX NIEMEYER in Halle.

---

**Dissertationes philologicae Halenses** cum praefatione Henrici  
Keilii. Vol. I—XI. 1873—1890. 8. ℳ 87,00

— Vol. I. 1873. ℳ 6,00

Inhalt: Kleemann, M., Reliquiarum dialecti Creticae pars I. Glossae Creticæ cum commentariolo de universa Creticæ dialecti indole. — Gutsche, G., Quæstiones de Homericō hymno in Cererem. — Walther, E., de Taciti studiis rhetoriciis. — Friedel, W. O., de Sophistarum studiis Homericis. — Schink, E., de interiectionum epiphonematumque vi atque usu apud Aristophanem. — Kohlmann, R., de verbi Graeci temporibus. — Zacher, K., de prioris nominum compositorum Graecorum partis formatione.

— Vol. II. 1876. ℳ 5,00

Inhalt: Weingärtner, Ad., de Horatio Lucretii imitatore. — Votsch, G., Quæstiones de infinitivi usu Plautino. — Schmidt, J., de Herodotea quæ fertur vita Homeri. — Doberentz, Aem., de scholiis in Thueydidem. — Matthias, E., de scholiis in Juvenalem.

— Vol. III. 1878. ℳ 7,00

Inhalt: Zacher, K., De nominibus graecis in *αιος*, *αια*, *αιον*. — Neidhardt, Aem., De Euripide poetarum maxime tragico.

— Vol. IV. 1880. ℳ 9,00

Inhalt: Hendess, R., Oracula graeca quæ apud scriptores graecos romanosque exstant, collegit paucasque observations selectas praemisit. — Huebner, B., de temporum qua Aeschylus utitur praesensit præcipue et aoriste varietate. — Voelcker, F., de Graecorum fabularum auctoriibus. — Lange, E., Quid cum de ingenio et litteris tum de poetis Graecorum Cicero senserit. — Segebade, J., Observationes grammaticæ et criticae in Petronium. — Hollaender, L., de militum coloniis ab Augusto in Italia deductis. — Karbe, H., de Centurionibus Romanorum.

— Vol. V. 1883. ℳ 8,00

Inhalt: Schmidt, J., De Seviris Augustalibus. — Baegé, M., de Ptolomaeo Ascalonita. — Jungblut, H., Quæstionum de Paroemiographis pars prior: De Zenobia. — Koob, H., De mutis quæ vocantur personis in Graecorum tragediis. — Zimmermann, R., Quibus auctoribus Strabo in libro tertio geographicorum conscribendo usus sit, quaeritur.

— Vol. VI. pars prior. 1885. ℳ 6,00

Inhalt: Roos, C., De Theodoreto Clementis et Eusebii compilatore. Accedit epimetrum de Platonis codicibus. — Karbaum, H., De auctoritate ac fide grammaticorum latinorum in constituenda lectione Ciceronis orationum in Verrem. — Schulze, E. Th., De Q. Aurelii Symmachi vocabulorum formationibus ad sermonem vulgarem pertinentibus.

— — — pars secunda. 1886. ℳ 4,00

Inhalt: Hauschild, O., De sermonis proprietatibus, quæ in Philippicis Ciceronis orationibus inveniuntur. — Voigt, Th., De Atrei et Thyestæ fabula.

RICARDUS WALTHER:

DE APOLLONII  
RHODII ARGONAUTICORUM REBUS  
GEOGRAPHICIS.

---



ixii cuius ultima pars ab eis omnis cum alijs antehinc quodammodo  
dicitur, ut idem apud antiquos etiamen pellit, amissum  
la proposito, secunda modiciora haec, priores tradidit, ut hanc  
habet nominata, ut videtur, si ex alijs, et rursum, etiamen  
ab eis, ut ex alijs, et rursum, et rursum, ut ex alijs, et rursum  
et rursum, et rursum, et rursum, et rursum, et rursum, et rursum,

Quod C. O. Muellerus de Apollonio Rhodio dixit<sup>1)</sup>: „Dieser verwirrt alte Vorstellungen mit der erweiterten Erdkunde seines Zeitalters in ein widerliches und abgeschmacktes Bild, ohne mythischen und poetischen Sinn, aber mit aller Gelehrsamkeitsprahlerei eines Alexandriners“, recte, si ad universam rem spectamus, dixisse videatur. At tamen facere non possum, quin contendam ex ipsa illius sententia, si non probe intellegatur, facile pravissima iudicia de Apollonio oriri posse. Contra accuratius haec verba consideranti mihi sagacissimus ille homo videtur tetigisse ipsas tres res, in quibus laudes, ut ita dicam, Apollonii positae esse existimo. Primum enim Apollonii carmen quam maxime valet ad Alexandrinorum, quos vocamus, poetarum et grammaticorum rationes dilucide perspiciendas; deinde cum varios Argonauticae fabulae varie per tempora commutatos modos omnesque eius partes complectatur, gradus et quasi progressus illarum fabularum ex eo investigare et distinguere possumus; denique non pauca in eo sunt ex auctoribus, quorum libri deperditi sunt, eisque locupletissimis depprompta et ita comparata, ut ad indagandam eam quae Apollonii aetati erat terrarum notitiam alicuius momenti sint. Atque cum illae priores duae res<sup>2)</sup> iam

<sup>1)</sup> Orchomenos und die Minyer <sup>2)</sup>, p. 290.

<sup>2)</sup> Aug. Weichert, Ueber das Leben und Gedicht des Apollonius von Rhodus. Meissen 1824. — R. Merkel, Prolegomena edit. Lips. 1854. — Aug. Couat, La poësie Alexandrine sous les trois premiers Ptolémées. Paris 1882. — J. Stender, De Argonautarum ad Colchos usque expeditione fabulae historia critica. Kiel 1874. — D. Kennerknecht, Zur Argonautensage. Gymn. Progr. Bamberg 1888. — M. Groeger, De Argonauticarum fabularum historia quaestiones selectae. Breslau 1889. — Volkmann, Einige Bemerkungen über die Argonautica des Apollonius. Gymn. Progr. Jauer 1875. — Quae Schoenemannus, Commentatio de geographia Argonautarum Gottingae 1788, protulit,

optime pertractatae sint, ego nunc hanc, de qua tertio loco dixi, uberiorus explicare aggrediar; propositum igitur mihi est, quidquid in Apollonii carmine ad geographiam spectat, colligere et in iudicium vocare. Qua in re id agam, ut scholiorum testimoniis usus, quo fonte — quantum fieri poterit — ea quae de geographicis rebus prodit Apollonius hauserit, exquiram. Et primum quidem disseram de iis carminis partibus, quibus Apollonius Homeri geographiam imitatus est, deinde, ipsum expeditionis cursum sequens, ea exponam, quae ex variorum auctorum libris sumpta sunt, denique de iis locis, ubi obiter breviterque pro occasione data de geographicis rebus agitur, pauca addam.

### I. De Homericae geographiae imitationibus.

Homeri geographiae imitationes duas praecipue in Apollonii carmine invenimus, quarum una ad Iliidis, altera ad Odysseae partem quandam pertinet. Primum enim in indice Argonautarum (I, 20 — 233) confiendo poeta ad Homeri catalogum navium (Il. B, 484 — 760) spectasse videtur; altera autem imitatione est narratio navigationis inde a Circae domicilio usque ad Phaeacas factae, quae ad Odysseae libri XII. fabulosas descriptiones accomodata est. Monea tamen nos nonnulla iam his rebus inserta repnrturos esse, quae ex aliis fontibus mutuatus illis immiscuit Apollonius. Atque primum quidem de Argonautarum catalogo dicamus.<sup>1)</sup>

Enumerationis heroum ab Apollonio exhibitae ratio si cum Homeri navium indice comparatur, similitudines complures intercedere videntur, differentiae perpaucae inveniuntur et quae in argumentorum discrepantia positae sunt. Homerus enim omnes fere Graecorum nationes et multas urbes atque copias navesque recenset, Apollonius singulos viros eorumque patrias indicat; ille ingentis exercitus opes instructas perlegit, hic unius navis armaturam praesidiumque describit. Sed si quis considerat, quae ratio in conscribendo illo indice Apollonii animo obversata sit,

plane obsoleta sunt. — Mira sunt Fr. Vateri scripta (*Argonautenzug*. 1845. et *Triton u. Euphemus*. 1849. Kasan.).

<sup>1)</sup> Cfr. E. F. Krause, *Apollonii Rhodii catalogus Argonautarum*. Halae 1798. — O. Jessen, *Prolegomena in catalogum Argonautarum*. Berolini 1889.

facillime videbit eo consilio eum confectum esse, ut sit illius Homericae tabulae imitatio docte, ut a poeta doctissimo, excogitata. Iam quo ordine uterque usus sit conspiciamus. Homerus quidem, postquam a Boeotis medium Graeciam incolentibus incepit, primum ad occidentem conversus Orchomenios Phocensesque, tum ad septemtrionem Locros commemorat; deinde per Euboeam insulam Athenas Salaminaque transgressus cum proprium ordinem geographicum servat, Peloponnesi regiones perlustrat et insularum vicinarum mentione facta ad Aetolos traiicit circumque claudit. Inde ad insulas maris Aegaci abit, quas postquam perlegit in Thessaliam redit et finem, cum eius nationes prodit non paucas, enumerationis facit. Exstat igitur hoc Homeri catalogo navium περιήγησις Ἑλλάδος, ut ita dicam, antiquissima. Apollonium vero in ordine descriptionis non uno loco ab Homero recessisse iam videbimus. Exorsus enim ab Orpheo Pieriam Graeciae finibus vicinam incolente ad meridiem progressus primum Thessaliam intrat, quam omnibus ex partibus probe perlustrat. Inde ad Locros Opuntios egressus iam in Euboeam insulam transit Homeri rationem hoc loco sequens. Ex Euboea postquam Aeginam insulam, Aeacidarum patriam, visitavit, in Atticam reversus per Boeotorum fines Peloponnesum adit et eodem atque Homerus modo peragrat. In Achaia cum subsistat, hoc loco, quippe ubi occasio oblata sit, ordinem relinquit vel potius paulum intermittit. Primum enim Taenari mentionem addit et Milet Samique heroes ex Asia advectos inserit, tum ordinem institutum iam redintegrans in Aetoliam transgreditur et inde in Phocidem procedit. Denique duobus externis heroibus, Calai Zeteque Thracibus, commemoratis agmen claudentem consilio facit poeta Acastum, Iolecum ipsam, unde expeditio emittitur navisque deducitur, incolentem. Reperimus igitur Apollonium non sine iudicio Homeri exemplo se applicuisse ordinemque enumerationis pro sua voluntate immutasse. Cum singula iam consideramus, videmus Apollonium non solum ex ea quam Homerus exhibet urbium multitudine, sicut res rationesque carminis sui flagitabant, unam fere cuique regioni elegisse, sed etiam nonnulla aliunde deprompsisse. Orphei enim, qui primo loco nominatur (I, 23), ab Homero nusquam mentio fit; Apollonius vero eum secundum famam suo ipsius tempore vulgatam,

ex qua Iasonis comitem navigationisque participem eum fuisse tradebant, inseruisse consentaneum est. Fontibus Homero recentioribus praeterea debet speculae Pimpleidis<sup>1)</sup> (I, 25) notitiam, ubi natus esse dicitur fabulosus ille Pieriae Bistonidis<sup>2)</sup> rex (v. 34), fabulamque quam de Zone, Thraciae orae regione quadam, tradit (v. 28 sqq.) a Pomponio Mela<sup>3)</sup> firmatam. Erant enim, ut videtur, in illa acta fagi mirum in modum quasi iustis ordinibus instructae: unde fabula exorta est fagos illas Orphei cantu divino abductas ibi substitisse. — Thessaliae quam primo loco Apollonius nominat urbem (v. 37 sqq) Piresias ad montem Phylleum atque Apidani et Enipei confluentem sitas apud Homerum nusquam invenimus; neque Larisa in Pelasgiotide sita, omnium quae hoc nomine inditae erant, urbium celeberrima, Homero nota est, cum Polyphemi Lapithae, quem illinc venisse Apollonius tradit, summa cum laude ob virtutem bellicam mentio a Nestore fiat.<sup>4)</sup> Reliquae Thessaliae urbes quattuor, quas poeta noster affert, respondent Iliadis locis. In urbe Phylace Apollonius (v. 45) Argonautarum temporibus Iphiolum, Homerus eius filios Podarcem et Protesilaum regnantes facit (*B*, 695 sqq.); Pherae, quam urbem Apollonius sub monte Chalcedonio<sup>5)</sup> sitam esse prodit (v. 49 sq.), illa aetate Admeti, Troici belli temporibus eius filii imperio subiectae sunt (*B*, 711 sqq.); Alopen Homerus<sup>6)</sup> inter urbes in Achillis dicione Phthiotide a Myrmidonibus occupata sitas recenset; eodem spectat Apollonius: dicitur enim (v. 54 sqq.) Eupolemia Phthias, Myrmidonis filia, in Amphryssi fluvii, qui perfluit illam regionem<sup>7)</sup>, ripis Mercurio Aethalidem Alopae habitantem peperisse. Quam urbem Homerus *Ινοτάνην* (*B*, 738) vocat, Apollonius<sup>8)</sup> — ut alii scriptores<sup>9)</sup> variant inter haec duo nomina — *Ινοτάνα* nominat et a Coronō habitatam eam esse prodit, cum apud Homerum rursus Coronī filium Leon-

<sup>1)</sup> Cfr. Strab. p. 330 fr. 17, 18, 410, 471.

<sup>2)</sup> De hac re mire confusa cfr. Bode, Gesch. d. hell. Dichtk. I, 109 sqq. — Preller, Griech. Myth. II, 486.

<sup>3)</sup> II, § 28 (Frick). cfr. Plin., N. H. IV, § 43.

<sup>4)</sup> Hom. Il. A, 264.

<sup>5)</sup> Is ab alio auctore non nominatur.

<sup>6)</sup> B, 682. <sup>7)</sup> Strab. p. 432 sq. <sup>8)</sup> v. 57.

<sup>9)</sup> Cfr. Strab. p. 329, fr. 44, 16; 439, 441—43. Steph. Byz. v. *Ινοτάνην*.

teum illius urbis copiis praeesse legamus. Denique quod commemorat poeta noster Thessaliae urbem Ctimenē Dolopeidem prope lacum Xyniadē sitam (v. 67 sq.), Homerus neque urbem neque lacum nominat, nominat vero Dolopes Phoenici oboedientes (Il. I, 484). Stephanus Byzantius<sup>1)</sup> autem Ctimenē Dolopū a Peleo Phoenici donatam esse dicit nostrumque laudat locum (I, 68). Idem<sup>2)</sup>, cui plane assentitur schol. Ap. Rh. I, 67 et 68, docet Xyniadē lacum eundem esse atque eum qui vulgo dicebatur Boebeis.<sup>3)</sup> — Ex Locrorum oppido Opunte cum alii heroes Iasoni auxilio veniunt tum Oileus (v. 69 sqq.), cuius filius Ajax apud Homerum Locros regit (*B*, 527 sqq.). — In Euboea sitam Cerinthū uterque poeta affert (*B*, 536 sqq. Ap. I, 79): solus Apollonius<sup>4)</sup> huic adiungit Oechalam, quam Homerus (*B*, 730) inter urbes Thessaliae recenset, ut schol. Ap. Rh. I, 87 et Stephanus Byzantius<sup>5)</sup> recte moment. Erant enim complures urbes eo nomine inditae, ut Strabo<sup>6)</sup> docet: quarum una antiquissimis temporibus in Euboea erat in parvi qui illius aetate exstabat vici loco quondam sita. — De Aegina insula, Aeacidarum patria, unde expulsi Telamo ἐν Ατθίδι νήσῳ (v. 93) i. e. Salamine, Peleus Phthiae (v. 94) habitabat, nihil est quod moneam. Neque de Cecropia novi quidquam profert Apollonius (v. 95 sqq.). Contra miretur fortasse quispiam, quod Σιραι, ἐπίνειον τῆς Θεσπιακῆς ut Stephanus Byzantius<sup>7)</sup> prodit, quem vicum ne Strabo et Pausanias quidem nominant, a poeta commemorantur (v. 105). — In Peloponnesum procedens Apollonius artius Homeri rationem sequitur; enumerat Araethyream, (v. 115), Phliantis herois patriam, a quo Phliuntis nomen postea recepisse ferebatur<sup>8)</sup>, Homero quoque notam (*B*, 571) atque nobilissimas omnium urbes Argos, quod oppidum (v. 125) Λυρκίουν a monte Lyrceo<sup>9)</sup> appellat, Mycenās Herculis fabulis celebratas (v. 128 sqq.), Spartam, Castoris Pollū-

<sup>1)</sup> v. Κτιμένη.

<sup>2)</sup> v. Ξενία.

<sup>3)</sup> Cfr. Strab. p. 430, 436, 438 sqq.

<sup>4)</sup> v. 87.

<sup>5)</sup> v. Ολγαλία.

<sup>6)</sup> p. 448. cfr. Paus. IV, 2.

<sup>7)</sup> v. Σιραι. cfr. Thueyd. IV, 76.

<sup>8)</sup> Steph. Byz. v. v. Αραιθυρέα, Φλιοῦς. cfr. Strab. p. 382. — Paus. II, 12. — schol. Ap. Rh. I, 115.

<sup>9)</sup> Steph. Byz. v. Λύρκειον. — schol. Ap. Rh. I, 125; de scriptura v. Merkel. ed. p. 7. — cfr. Paus. II, 25, 4.

cisque fratum patriam (v. 146 sqq.), quibus aequa atque Homerus (*B*, 591) Arenen Pylumque adiungit. (v. 151 sqq., 156 sqq.). — Ex Arcadiae permultis quas Homerus recenset (*B*, 603 sqq.), urbibus, unam Tegeam<sup>1)</sup> elegit atque in Eleorum finibus omnino nullam nominat (v. 161 sqq. v. 172 sqq.) — Achaiae Pellenen, quam Homerus Agamemnonis dicioni subiunctam facit (*B*, 574), ἐπ' ὁρούσιν Αἴγιαλοῦ<sup>2)</sup> sitam tribuit (v. 178). — Sequitur mentio Taenari promunturii ab Homero non commemorati (v. 179); cum Miletus urbs ei nota sit (*B*, 868. Ap. Rh. I, 186). — Samum insulam Παρθενίην vocat Apollonius (v. 188): quod nomen poetae saepius usurpat e fabula ortum, qua dicunt Iunonem prope fluvium huius insulae Imbrasum, unde cognomen Imbrasiae acciperet, educatam et cum virgo esset ibi commorata esse: quare insulam „Virgineam“ appellatam esse.<sup>3)</sup> Aetolorum Calydon Oenei Meleagrique sedes, et Olenus urbes rursus respondent Homeri catalogo (v. 190, 202. *B*, 638 sqq.). — Etiam Phocensium Delphici oraculi sedis clarissimae ab Homero quamvis alio enumerationis loco mentio fit (*B*, 519), ubi dicit eam Πυθῶνα, cum aliis locis (λ, 581)<sup>4)</sup> Πυθώ, ut Apollonius (v. 209), nominet. — Thraces Calais et Zetes, Boreae filii, Homero ignoti sunt: ab aliis autem ea quae de Orithyiae matris raptu traduntur (v. 211 sqq.) saepius narrata invenimus.<sup>5)</sup> Unde vero Apollonius hanc fabulam cognoverit, nescio: de Sarpedonia rupe illa (v. 216) Pherecydes, ὅτι πρὸς τῷ Αἴμῳ ὄφει ἔστι, περὶ τῆς ἀρπαγῆς ἴστοροῦ contenderat.<sup>6)</sup> At nos quidem nihil nisi Sarpedonem promunturium Thraciae orae meridianae, quod prope ab Hebrei

<sup>1)</sup> Ex Aphidante (v. 162), Arcadis filio, heroe unam Tegeatarum tribum nomen recepisse Paus. VIII, 45, 1 indicat.

<sup>2)</sup> Αἴγιαλοῦ enim, non αἴγιαλοῦ scriendum est, ut recte Merkelius adnotat: nam Pellene a litore maris sexaginta stadia aberat (Strab. p. 386, cfr. Paus. VII, 26, 14). Aegialus vero antiquissimis temporibus totius Achaiae nomen fuisse credebatur (Paus. V, 1, 1; VII, 1, 1. Steph. Byz. v. Αἴγιαλός).

<sup>3)</sup> Cfr. Michaelis, De Apollonii Rhod. fragmentis. Diss. Halle 1875, p. 14. — Strab. p. 457, 637. — Steph. Byz. v. Σάμος. Similis est fabula quae de Parthenio fluvio II, 938 sqq. proditur a nostro poeta. cfr. schol. ad. h. l.

<sup>4)</sup> Dativ. Πυθῶ: θ, 80 et I, 405.

<sup>5)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. I, 211. — Herod. VII, 189. — Strab. p. 295. — Apollod. III, 15, 2. <sup>6)</sup> schol. Ap. Rh. I, l.

capite aberat<sup>1)</sup> novimus; Erginum autem fluvium<sup>2)</sup> Mela<sup>3)</sup> qui II, § 24 eius mentionem facit, inter urbes in Propontidis oris sitas fluentem recenset. — Denique Acasti, Peliae regis filii, qui Iolci habitat, commemoratione (v. 224) apte ab Apollonio lectores deducuntur ad portum ipsum, unde iam enavigaturi sunt heroes, postquam Argus faber opus perfecit (v. 226).<sup>4)</sup> Quibus rebus singulis perlustratis si de universo hoc Argonautarum catalogo iudicium facere mihi licet, statuere velim non insulse Apollonium, ne aridam heroum nomenclaturam exhiberet, Homeri exemplum illud nobilissimum enumerationis sibi imitandum proposuisse; sed apud poetas eiusmodi enumerations, etiamsi maxima ut illustrentur lectoribusque gratiores reddantur opera datur, tamen frigidissimae videntur: id quod etiam in Homeri indicem navium cadere contendam. In hoc vero quod aliis de causis summi momenti est hoc vitium facile poetae ignoscitur, aliter res se habet in illo. Tamen hunc Apollonii catalogum Argonautarum nobis servatum esse est cur gaudemus.

Transeo iam ad alteram Homericae geographiae imitationem, quae est narratio itineris quod Argonautae inde a domo Circae deae usque ad Phaeacum terram navi legisse dicuntur l. IV, v. 657 — 979; respondet autem fere Odysseae l. XII. Quae si quaerimus quibus de causis exorta sit, procul dubio sentimus ansam dedisse versus illos Odysseae, ubi Circē, postquam Ulixī Planatarum naturum descripsit, unam Argo navem eas praetervectam esse sospitem dicere pergit ( $\mu$ , 69 sqq.):

*Oīη δὴ κείνη γε παρέπλω ποντοπόρος νῆσος  
Ἄργῳ πᾶσι μέλονσα, παρ' Αἴγατο πλέονσα ·  
καὶ νύ κε τὴν ἔνθ' ὥκα βάλεν μεγάλας ποτὶ πέτρας,  
ἄλλ' Ἡη οὐ παρέπεμψεν, ἐπεὶ φίλος ἦν Ἰήσων.*

De his versibus varie ab interpretibus aliquisque viris doctis tentatis, in quibus vestigia antiquissimarum Argonauticarum, quae ante Homeri aetatem ferebantur, fabularum inesse vi-

<sup>1)</sup> Strab. p. 331 fr. 52. <sup>2)</sup> v. 217.

<sup>3)</sup> Similia tradit Plinius IV, § 47 Ian. . . . „in ora amnis Erginus . . .“ Num vero idem sit atque is quem Herodotus IV, 90 Agrianem vocat, ut Mannertus, Geogr. d. Griech. u. Römer B. VII, p. 16. vult, dubito. De Erigone Strabonis p. 331, fr. 49 nihil constat.

<sup>4)</sup> Argi patriam prodere plane omisit Apollonius.

dentur<sup>1)</sup>, e quidem hoc loco id unum dico, ex illis temporibus, quibus in Odysseae carmina recepti legebantur, omnes, quicumque de Argonauticis tractabant, id sibi agendum ex his ipsis Homeri verbis putasse, ut de hac re breviter ab eo commemorata uberioris verba ficerent.<sup>2)</sup> Itaque narrationes illas, quas de Planetis et Circa dea Medeae et natura et inde cognata is qui carmen duodecimum Odysseae condidit, ex Argonauticis fabulis repetitas tradit, ab Argonautorum auctoribus pristinis suis locis restitutas esse credere debemus, ita fere ut apud Apollonium legimus. Simul cum coloniis deducendis apud Graecos terrarum notitia augeretur, quibus locis ea quae fabulis illis enarrabantur facta essent, explorare studebant: nam Odysseae carminis auctor tam obscure de his rebus dicit, ut utrum ei certa loca animo obversata sint necne omnino non dijudicari possit.<sup>3)</sup> Atque Hesiodus<sup>4)</sup>, cum sententiae illius a multis probatae et illustratae<sup>5)</sup>, ab Eratosthene vehementer repudiatae<sup>6)</sup> auctor exstiterit, Ulixis errores in mari Tyrrheno factos esse<sup>7)</sup>, etiam huic Argonautarum expeditionis parti loca eadem tribuisse videatur. Eum autem secutus est Apollonius, ut schol. Ap. Rh. III, 311 his verbis exponit: Ἡκολούθησεν Ἀπολλώνιος τοῖς κατὰ τὸ Τυρσηνικὸν πέλαγος ὑποτιθεμένοις τὴν Ὄδυσσεως πλάνην, ὃν ἀρχηγὸς Ἡσίοδος, κατωρηκέναι λέγων Κίρκην ἐν τῷ προειρημένῳ πελάγει. — Φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος Ἡσιόδῳ ἐπόμενος ἐπὶ τοῦ ἄρματος τοῦ Ἡλίου εἰς τὴν κατὰ Τυρσηνίαν κειμένην νῆσον τὴν Κίρκην ἐλθεῖν.<sup>8)</sup> Unde apparet iam ante Apollonium nonnullos de his rebus eodem atque Hesiodum modo egisse, inter quos fuisse Timagetus ex schol. Ap. Rh. IV, 259<sup>9)</sup>, atque Timaeum et Pisistratum

<sup>1)</sup> Cfr. Kirchhoff, Die Homerische Odyssee<sup>2</sup>, p. 288.

<sup>2)</sup> Groeger p. 52 sqq. cfr. Lehrs, De Aristarchi studiis Homericis<sup>2</sup>, p. 244 sqq.

<sup>3)</sup> Cfr. Muellenhoff, Deutsche Altertumskunde I, p. 51 sqq.

<sup>4)</sup> Kirchhoff, l. l. p. 319.

<sup>5)</sup> Diodor. IV, 56. — Strab. p. 21 sqq. („σημεῖα“).

<sup>6)</sup> Strab. p. 22 sq. <sup>7)</sup> Cfr. Strab. p. 23.

<sup>8)</sup> = fr. 80, 81 Markscheffel = fr. 195 Goetling = fr. 86, 87 Kinkel = fr. 90, 91 Rzach.

<sup>9)</sup> Τιμάγητος δὲ ἐν αἱ περὶ λιμένων τὸν μὲν Φᾶσιν καταφέρεσθαι ἐξ τῶν Κελτικῶν ὅρῶν, ἢ ἐστὶ τῆς Κελτικῆς, εἴτα ἐκδιδόναι εἰς Κελταῖν λίμνην, μετὰ δὲ ταῦτα εἰς ὃν σχίζεσθαι τὸ ὄδωρ, καὶ τὸ μὲν

Liparaeum ex schol. Ap. Rh. IV, 756 et 965<sup>1)</sup> suspicor. Atque Timagetum permulta Apollonio suppeditasse infra demonstrabimus; Timaei autem libros num inspexerit poeta noster dubium est, et de Pisistrato uno illo loco commemorato omnino nihil scimus.<sup>2)</sup> — Iam res ipsas consideremus. Atque primum cum heroes insula Aethalia degressos praeter litora Tyrrhena Ausoniae navigantes facit (IV, 657 sqq.) Apollonius, satis diserte situm locorum indicat. Tum (v. 659) Aeaeam, Circae sedem, pervenient, ubi ancoras iaciunt. Homerus autem hanc terram insulam<sup>3)</sup>, vasto mari circumdatam<sup>4)</sup>, esse narrat; idem, ut e schol. Ap. Rh. III, 311 verbis quae sunt: *εἰς τὴν κατὰ Τυρρηνίαν νῆσον τὴν Κίρκην ἐλθεῖν*, cognovimus, senserat Hesiodus<sup>5)</sup>: Apollonius vero eam oram continentis appellat, (IV, 848) cum dicit *ἐκτὸν Αἰαίην Τυρρηνίδος ἡπείρου* et (v. 854) Thetidem cum Peleo loquentem et hortantem inducit, ne diutius in oris Tyrrhenis commorentur; atque Aeetes Circam sororem (III, 311) pronuntiat habitare in ora continentis Tyrrhenae longe a Colchide remotam et in terram occidentalis plagae translatam. Valde igitur recessit Apollonius ab Homeri verbis illis varie a viris doctis vexatis<sup>6)</sup> (Odyss. μ, 3 sq.):

*Νῆσον τ' Αἰαίην, ὅθι τ' Ἡοῦς ἡριγενείης  
οἰκία καὶ χοροί εἰσι καὶ ἀντολαὶ Ηελίοιο*

et applicuit se, ut et scholio illo discimus, Hesiodi rationibus; praecipue autem quod Apollonius saepius Tyrrhenae orae εἰς τὸν Εὐξείνον πόντον εἰσβάλλειν, τὸ δὲ εἰς τὴν Κελτικὴν θάλασσαν, διὰ δὲ τούτον τὸν στόματος πλεῦσαι τὸν Αἴγυναύτας καὶ ἐλθεῖν εἰς Τυρρηνίαν· κατακολούθει δὲ αὐτῷ καὶ Ἀπολλώνιος. cfr. schol. IV, 284.

<sup>1)</sup> Πλαγκταὶ πέτραι ἐν τῷ πορθμῷ εἰσιν, ὡς Τίμαιος καὶ Πειστορατος ὁ Λιπαραῖος. — Τίμαιος Θρινακίαν φησὶ καλεῖσθαι τὴν Σικελίαν, ὅτι τρεῖς ἄκρας ἔχει. cfr. Muellenhoff, I, 55. A. 3.

<sup>2)</sup> Cfr. Mueller, Fragm. histor. Graecor. IV, p. 478.

<sup>3)</sup> ζ, 135; μ, 3, 143; λ, 70. <sup>4)</sup> ζ, 194 sq.

<sup>5)</sup> Muellenhoff, Deutsche Altertumsk. I, p. 54. — Apollonius de insula non dicit.

<sup>6)</sup> Cfr. Voelcker, Ueber Homerische Geographie und Weltkunde. Hannover 1830. — E. v. Baer, Ueber d. Homer. Localitäten in d. Odyssee. Braunschw. 1878. — H. Hahn, Die geogr. Keuntnisse der älteren griech. Epiker: Gymn. Progr. Beuthen 1878, 1881, 1885. — M. Herdt, Quam vere de Ulixis erroribus Eratosthenes iudicaverit. Erlangen 1887.

mentionem repetit, Hesiodum sapit.<sup>1)</sup> Obiter tantummodo ubi deam illam habitasse sibi finxerit Apollonum exponere invenimus: itaque num certus ille locus saepius commemoratus, ubi sedem deae fuisse constans apud antiquos fuit opinio<sup>2)</sup>, eius quoque animo obversatus sit, quamquam veri simile est, tamen certe definiri nequit. — Postquam e Circae fabulosa domo decesserunt heroes, secundo zephyro vento vecti insulam Sirenum praeternavigant (v. 883—918): quam Apollonius Anthemoessam (v. 890 ed. Merk. min., v. 892 ed. mai.) appellat, ut schol. ad IV, 892 monet, ex Hesiodi exemplo.<sup>3)</sup> Neque est cur hoc falsum esse putemus<sup>4)</sup>: De situ huius insulae Apollonius nihil dicit nisi eam a Circae sede ad orientem versus abesse: nam zephyro vento illuc pervenisse heroes narrantur (v. 884 et 889 sq.); Lilybaei promunturii autem mentio rursus spectat ad Tyrrhenum mare (v. 917); eo enim Venus Butem, qui solus Sirenum cantu allactus e navi desiluerat, periculo ereptum transtulisse dicitur (v. 910—917). Sed quod de una insula dicit, probe ad Homeri exemplum<sup>5)</sup> spectat, cum alii<sup>6)</sup> tres insulas parvas in sinu Posidonio prope Surrentum sitas Sirenibus sedes tribuant.<sup>7)</sup> — Sirenum insulam praetervecti Planetis ipsis appropinquant Argonautae (v. 920 sqq.), atque Iunone Iasoni opitulante, sicut Homerus prodiderat, a Nereidibus sospites traducuntur, cum alteram viam, ubi e Scylla Charybdisque aut nonnullis aut omnibus heroibus periculum imminet<sup>8)</sup>,

<sup>1)</sup> Cfr. theog. v. 1016. — Strab. p. 23 (= fr. 79 M.). — cfr. Dionys. Hal. I, 29.

<sup>2)</sup> Promunturium Circaeum inter Antium et Tarracinam situm: Scylac. per. § 8. — Aristot. Mir. 110. — Scymn. per. v. 225. — Strab. p. 232. — Verg. Aen. VII, 10 sqq. — Mel. II, § 71 — Plin. III, 56. — Ptol. III, 1, 5.

<sup>3)</sup> Ἡξολούθησεν Ἡσιόδῳ οὔτως ὄνομάζοντι τὴν νῆσον τῶν Σειρήνων

νῆσον ἐξ Ἀνθεμόεσσαν, ἵνα σφίσι δῶκε Κρονίων.

<sup>4)</sup> Cfr. Hom. μ, 159. — Weichert p. 208.

<sup>5)</sup> μ, 167, 201.

<sup>6)</sup> Scymn. per. v. 225. — Strab. p. 22, 258. — Verg. Aen. V, 864 sqq. — Mel. II, § 69. — Plin. III, § 62. — Dionys. per. v. 360.

<sup>7)</sup> E re ipsa nominatae sunt Sirenuſſae insulae. Alii in promunturio Peloro illas habitasse credebant (Strab. p. 22).

<sup>8)</sup> Cfr. Hom. μ, 110. — Ap. Rh. IV, 823 sqq.

diligenter evitant. Sunt enim navigantibus hae duae viae, ut apud Homerum Circē Ulixī exponit ( $\mu$ , 56 sqq.): id quod Apollonius his verbis repetit (v. 920 sqq.):

*Tῇ μὲν γὰρ Σκύλλης λισσὴ προνφαίνετο πέτρῃ  
τῇ δ' ἄμοτον βοάσκεν ἀναβλύζονσα Χάρυβδις  
ἄλλοθι δὲ Πλαγχταὶ μεγάλῳ ὑπὸ κύματι πέτραι  
ὅρχθεον . . . .*

Sequitur igitur in hac re Homeri rationes. Illud vero plane ab eo abhorret, quod Aeoli ventorum rectoris regia et Vulcani fabri officina<sup>1)</sup> apud Apollonium cum Planetis coniunctae sunt: adde quod Scylla appellatur Ausonia<sup>2)</sup>: iam intellegas ab Apollonio quoque probatam esse sententiam eorum, qui Homeri Planetas esse rupes insularum Lipararum maris aestibus, ventorum flatibus, eruptionibus ignium periculosa putabant<sup>3)</sup> atque Scyllam Charybdimque in Siculo freto collocabant.<sup>4)</sup> — E Plantarum periculis elapsi Thrinaciae litora legunt heroes atque Solis armenta ibi pascentes Phaethusam et Lampetiam deas conspicunt<sup>5)</sup>: quae pertinent ad Homeri exemplum omnia, atque eo tantummodo videntur esse addita, ne quid in hac imitatione Homericā desideraretur: nam si ad argumentum rerumque conexum spectamus, prorsus videntur otiosa.

Usque ad hunc locum Homeri narrationem secutus iam deflectit Apollonius: directo cursu enim Argo navis zephyro vecta ad Phaeacum terram proficiscitur<sup>6)</sup>, cum apud Homerum Ulixem tempestate exorta ad Scyllam Charybdimque repulsum et inde ad insulam Ogygiam delatum esse legamus.<sup>7)</sup> Sed in describendis iis rebus quae apud Phaeacas factae sunt rursus Apollonius Homeri vestigia repetit, cum personas Alcinoi regis Areiaeque uxoris eius ex illo mutuantur. Attamen nomina tantum illa Phaeacum, Alcinoi, Areiae Homeri memoriam referunt: ea ipsa, quae ad geographiam pertinent teraque descriptionem, ab

<sup>1)</sup> v. 759 sqq., 816 sqq., 926 sq., 954 sqq.

<sup>2)</sup> v. 826.

<sup>3)</sup> Strab. p. 275 sq. — Scymn. per. v. 254 sqq. — Diod. V, 7 sqq. — Mel. II, 120. — Plin. III, 92 sq. — Dionys. per. v. 461 sqq. — schol. Ap. Rh. IV, 761.

<sup>4)</sup> Strab. p. 43 sq. — Mel. II, 115. — Plin. III, 87. — Dionys. per. 472 sqq. — schol. Ap. Rh. IV, 825.

<sup>5)</sup> v. 963 sqq. — Hom.  $\mu$ , 127 sqq. — cfr. Voeleker l. l. p. 119.

<sup>6)</sup> v. 991 sq. <sup>7)</sup>  $\mu$ , 403 sqq.

illo prorsus aliena sunt; atque ea non sunt pauca: uberior enim res apud Phaeacas ab Argonautis gestas, quippe quae summi momenti sint, enarrat Apollonius.<sup>1)</sup> Attamen, cum ipsa Phaeacum gens ad Homeri geographiam fabularem pertineat, in ea autem summa narrationis posita sit, illis quas tractavimus Homericarum descriptionum imitationibus hanc quoque carminis partem, de qua iam dicturi sumus, adiungendam esse putavi. Atque quaestio exoritur quibus e fontibus reliqua, quae de Phaeacibus tradit, hauserit Apollonius: quae res est satis difficilis diiudicatu. Nam apud scholiastam omnino nullum proprie auctorem poetae nostri dictum esse in hac parte invenimus: sed laudantur Aristoteles, Timaeus, Apollonides, eademque atque Apollonium prodiisse dicuntur.<sup>2)</sup> Aristoteles enim librum de re publica Corcyraeorum confecit<sup>3)</sup>, qui sine dubio ad *Πολιτείας* pertinuit partemque illius operis amplissimi effecit. Quo in libro Aristoteli etiam de locis insulae agendi occasionem fuisse nemo est qui neget. Timaeus autem de originibus Corcyrae satis fuse scripsisse videatur<sup>4)</sup>, ita ut ex eo mutuandi Apollonio potestas saltem fuerit. Sed Apollonidis aetatem prorsus ignoramus, quem ἐν τῷ Περίπλῳ τῆς Εὐρώπης insulam illam descriptsse compierimus.<sup>5)</sup> Et Muellerus<sup>6)</sup> quidem eum post Apollonium vixisse putat, cuius sententiam cur repudiem non habeo. Praeterea Acusilaum et Alcaeum de Phaeacum origine verba fecisse<sup>7)</sup>, Philetam<sup>8)</sup> autem nuptiarum Medeae apud illos celebratarum mentionem intulisse discimus. Atque ubi terrarum Phaeacum sedes fuisse sibi cogitaverit, diserte Apollonius exponit (IV, 980): esse insulam in mari, quo Ceraunii montes alluuntur, sitam et Ionio freto obtentam, amplam fecundamque; ibi habitasse Phaeacas: quae in nullam aliam nisi in Coreyram insulam valent

<sup>1)</sup> IV, 980 — 1221.

<sup>2)</sup> schol. IV, 984; IV, 983, 1174; 1153, 1216, 1217.

<sup>3)</sup> schol. IV, 984: Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Κερκυραίων πολιτείᾳ.

<sup>4)</sup> schol. IV, 984 Τίμαιος δέ φησι, ω̄ ἔξετεμεν τοῦ Ούρανον ἢ τοῦ Κρόνου τὰ αἰδοῖα ὁ Ζεύς, τοῦτο κεκρύφθαι (sub Coreyra). — schol. IV, 1216: Τίμαιος δέ φησι μετὰ ἔτη ἔξανόσια τῶν Τρωϊκῶν Χερσικράτη, ἀπόγονον τῶν Βακχιαδῶν, κατφηκέναι τὴν νῆσον.

<sup>5)</sup> schol. IV, 983, 1174.

<sup>6)</sup> Fragm. hist. Gr. IV, 309 sq.

<sup>7)</sup> schol. IV, 992.

<sup>8)</sup> schol. IV, 1141.

omnia.<sup>1)</sup> Neque mira est haec Apollonii sententia : ab omnibus enim Coreyra credebatur esse Homeri Scheria.<sup>2)</sup> At qui fit, ut ab eo haec Phaeacum terra *Δρεπάνη* appelletur<sup>3)</sup>, non Scheria? Qua de re bene nos docet Aristoteles, qui, ut scholiasta Ap. Rh. IV, 983 et Stephanus Byzantius<sup>4)</sup> iisdem fere verbis tradunt, haec in libro quem de re publica Coreyraeorum confecit exposuit: antiquissimis ex temporibus insulam illam nominatam esse Drepanam; quod nomen ea de causa ei inditum esse Apollonius explicat (IV, 982 sqq.), quia falce quam Graeci *δρέπανον* sive *δρεπάνην* vocant, aut Saturni aut Cereris — de hac re enim esse dissensionem — sub insula abditam iacere fama esset. Tum vero, illi pergunt, cum fluvii, qui ex adversa Epiri ora in mare effluunt, luto adiecto insulam oblimatur et cum continentis coniuncturi viderentur, Cererem, cui insula sacra esset, a Neptuno petivisse, ut fluvios illos retineret: *ἐπισχεθέντων οὖν τούτων* (sc. ποταμῶν) ob illud *σχεῖν* nomen insulae e Drepana mutatum esse in Scheriam. Atqui — ita enim Apollonius ratiocinatus esse videtur — ab Homero iam Scheria vocatur insula illa: ergo Argonautarum, qui ante bellum Troianum vixisse feruntur, aetate Drepanam etiamtum nominatam eam esse fingit, ita ut nominis commutationem medio in temporum spatio factam esse cogitandum sit. — Iam insulam ipsam perserutemur.<sup>5)</sup> Est fluvius Aegaeus, ut videtur, insulae maximus neque ab eo qui hodie simpliciter „Potamos“ appellatur<sup>6)</sup> diversus. Pertinet autem et ad Argonauticas fabulas, cum filiae eius Naiades Medeae lectum iugalem ornassee tradantur (v. 1147), et ad Herculis memoriam, cum is ex una illarum Melita Hyllum progenuisse dicatur (IV, 538—543). Videntur igitur Corinthii coloni, qui Coryram occupabant, cum

<sup>1)</sup> Atque ex eo quod illuc zephyro vento Argonautae pervenisse dicuntur (v. 766 sq., 819 sq.), concludas quid de Thrinaciae situ censuerit Apollonius: praeter illud enim nihil de hac re dicit.

<sup>2)</sup> Thucyd. I, 25. — Apollodor. I, 9, 25. — Dionys. per. v. 494. cfr. Weleker, Die Homer. Phaeaken usw.: Rhein. Mus. 1832. I, p. 219 sqq. = Kl. Schr. II, p. 1 sqq.

<sup>3)</sup> v. 988, 1221. Cf. Reitzenstein Ined. poet. Gr. fragm. p. 12 sq.

<sup>4)</sup> v. Σχερία.

<sup>5)</sup> Cfr. G. C. A. Mueller, De Coreyraeorum re publica. Gott. 1835. p. 1 sqq.

<sup>6)</sup> Bursian, Geogr. v. Griech. II, p. 357.

fabulas quae vulgo ferebantur immutarent et ad suae insulae loca accomodarent, ex illo omnium Doriensium communi heroë Hylla, qui est Deianiraë ex Hercule filius<sup>1)</sup>; novum atque Coreyrae proprium Hyllum finxisse.<sup>2)</sup> Cum Aegaei filiabus coniunctae sunt Oreades Melitei montis (v. 1148), cui nomen ex illa nympha datum esse veri simile est; ex Hylla vero Coreyraeorum portuum alter vocabatur Hyllieus<sup>3)</sup> (v. 1123), ubi iam Argonautae ancoram iecisse dicuntur, cum Colchi hostes, qui Medeam retebant, in Macridia paeninsula castra posuisse prodantur (v. 1173). Sed de situ huius paeninsulae prorsus nihil scimus: nam scho-liasta quamquam (ad IV, 1174) Apollonide auctore urbem Coreyram sitam fuisse in paeninsula quadam tradit, tamen num haec sit illa Macridia non dicit; tum vero (ad IV, 1175) hanc paeninsulam quam Apollonius Macridiam nominat ex adversa continenti prominere opinatur: quod falsum esse puto: Colchos enim, qui cum Alcinoo ut Medea sibi redderetur agebant, ad insulam ipsam appulsos esse e re ipsa et e rerum conexu appareat. Est igitur Macridia Coreyrae insulae paeninsula. Nomen vero accepit e Macride, Euboeae insulae heroide eponyma, Aristaei filia<sup>4)</sup>, quae aequa atque pater agriculturae bene favere credebatur. Atque fabula, qua traditur illa ex Euboea, ubi Dionysum nutritisset, Coreyram demigrasse (Ap. Rh. IV, 1129 sqq.), spectat ad antiquissimos Eretriensium colonos ex Euboea Coreyram et in Epirum deductos.<sup>5)</sup> Neque mirandum est apud Coreyraeos pro insulae fertilitate heroidis illius cultum valde floruisse, praesertim cum ipsi Corinthii, ut videtur, Aristaeum valde venerarentur.<sup>6)</sup> Fortasse igitur etiam hae fabulae, quae de Aristaeo

<sup>1)</sup> Cfr. Preller, Griech. Myth. II, p. 280.

<sup>2)</sup> Cfr. Ap. Rh. IV, 547 sqq. — Steph. Byz. v. Υλλεῖς. — Mueller I. l. p. 56.

<sup>3)</sup> schol. Ap. Rh. IV, 1149. — Thueyd. III, 72, 81 appellat eum portum Hyllaicum; cfr. Steph. thes. v. Υλλικός.

<sup>4)</sup> Cfr. Pauly, Real-Encyklopädie v. v. Macris, Aristaeus. — O. Mueller, Orchomenos u. die Minyer p. 348, Dorier I, p. 281 sq. — Preller, Griechische Mythologie I<sup>2</sup>, p. 208. — G. C. A. Mueller, De Coreyraeorum republica p. 55 sq.

<sup>5)</sup> Busolt, Griechische Geschichte I, p. 305. cfr. Ap. Rh. IV, 1212 („Κεραύνια Ἀβάντων οὐρα“).

<sup>6)</sup> Cfr. G. C. A. Mueller, I. l.

et Macride narrabantur, ita ut res propriae Corcyrae flagitare videbantur, varie commutatae, auctae, ornatae, illustratae sunt. Omnium autem quas de Corcyra prodit Apollonius rerum duae potissimum quae diligentins respiciantur dignae sunt; duobus enim locis commemorat mores quosdam Corcyraeorum, quos ex antiquissimis temporibus usque ad suam aetatem ipsam remansisse dicit: etenim antrum, in quo Maeridem habitasse et Iasonis Medeaeque nuptias celebratas esse fabula sit, Medeae sacrum vocari (IV, 1151 sq.) et Parcis Nymphisque in templo Apollinis Nomii atque in iis aris, quas Medea ipsa exstruxisse dicatur, turibus incensis sacrificia solemnia quotannis fieri (IV, 1215 sqq.). Neque iniucundum est exquirere, cui auctori debuerit Apollonius hanc notitiam. Nam ipsum Coreyram, ubi illa cognoscendi potestas fuisset, adisse illum nusquam legimus. Id certe statuere possumus auctorem illum aut eadem qua Apollonium aetate aut non multo ante eum vixisse, ita ut etiam in suam aetatem illa cadere sine ulla dubitatione credere et contendere posset. Atque cogitet quispiam de Timaeo: is enim et nuptias Medeae Corcyrae — de loco enim erat dissensio — esse factas narraverat et de sacris illis sollemnibus verba fecerat<sup>1)</sup>: attamen haud scio an non ex illo has res cognoverit; dissentit enim Apollonius ab illo in re quamvis levi, — dissentit tamen. Timaeus enim narraverat Nymphis et Nereidibus sacra illa fieri, Apollonius de Nymphis et Parcis dicit: ex alio igitur mutuatus est hanc rem; de illa vero re iudicium facere nolim. Id unum moneo nos, cum Apollonius saepius de eiusmodi moribus institutisque verba faciat, etiam aliis locis similia reperturos esse.

Haec habui quae de iis Apollonii carminis partibus dicerem quae ad Homeri geographiam spectant. Priusquam autem ad

<sup>1)</sup> schol. Ap. Rh. IV, 1153: Τίμαιόν λέγοντος ἐν Κερκύρῃ τοὺς γάμους ἀχθῆναι Διονύσιος ὁ Μιλήσιος ἐν δευτέρῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν ἐν Βυζαντίῳ φησίν, Ἀρτίμαχος ἐν Λύδῃ ἐν Κόλχοις πληστὸν τοῦ ποταμοῦ μαγῆναι. — Id. IV, 1217 Τίμαιος περὶ τῆς θνοτος ἴστορετ ἔτι καὶ νῦν λέγων ἄγεσθαι κατ' ἐνιαυτὸν Μηδεῖας πρῶτον θνσάσης ἐν τῷ Ἀπόλλωνος ἱερῷ . . . μημετα τῶν γάμων ιδρύσασθαι σύνεγγυς μὲν τῆς Θαλάσσης, οὐ μακρὰν δὲ τῆς πόλεως. Όρομάζοντει δὲ τὸν μὲν Νυμφῶν, τὸν δὲ Νηρείδων. Ο γε μὴν Ἀπολλώνιος τὸν μέν φησι Νυμφῶν, τὸν δὲ τῶν Μοιρῶν.

reliquas narrationis partes considerandas transeam, breviter amplectar eas quoque res obiter tantummodo ab Apollonio commemoratas, quae aliquo modo cum Homericā geographia cohaerent: quae in re nimis eas tantum res perstringam, quae clare et dilucide ad Homerū pertinent eique soli propriae sunt, cum ceteras ultima parte operis, ubi reliquias per totum carmen dispersas res geographicā colligam, tractaturus sim. Atque primum proponam quid significant apud Apollonium vocabula *Παναχαιίς*, *Ἀχαιίς*, *Ἐλλάς*, *Δαναοί*: quaestio enim est, utrum eodem sensu apud hunc praedita usurpantur quo apud Homerū. Et *Παναχαιίδα* terram Homerū ignorat, sed *Παναχαιοὺς* tantum homines novit: contra apud Apollonium terram tantummodo *Παναχαιίδα* commemoratam invenimus; est autem Homericā significatione, ut universa Graecia intellegenda sit, id quod e III, 347 sq. clare apparet, ubi sunt verba Argi ad Aeetam dicta:

*Tῇ* (sc. in Argo navi) δ' ἐναγειράμενος *Παναχαιίδος* εἴ τι φέριστον  
ἡρώων, τεὸν ἄστυ μετήλυθε (sc. Iason).

Sunt enim heroes ex universa Graecia conflati. Alter locus est I, 242 sq., quo poeta homines expeditionis apparatus mirantes inducit loquentes:

*Ζεῦ ἄνα, τίς Πελίαο νόος; πόθι τόσσον ὅμιλον  
ἡρώων γαῖης Παναχαιίδος ἔκτοθι βάλλει;*

Atque scholiastam<sup>1)</sup> qui hic *Παναχαιίδα* de Thessalia sola dictum esse contendit, plane repudiandum esse existimo, potissimum propter sententiarum argumentum similitudinem, quae intercedat inter utrumque locum. Difficilius est dictu, quomodo Apollonius *Ἀχαιίδα* intellegi velit: quo vocabulo Homerū et ad universam Graeciam et ad partem eius significandam utitur.<sup>2)</sup> Scholiasta vero se nescire profitetur utram respiciat Apollonius, ἡ τὴν Θεσσαλίαν ἡ τὴν Ἐλλάδα, pergit tamen βέλτιον δὲ

<sup>1)</sup> ad I, 242: *Παναχαιίδα δὲ τὴν Θεσσαλίαν φησίν.*

<sup>2)</sup> Cfr. Gladstone, Homeriche Studien übersetzt von Schuster p. 80 sqq.: notus est versus:

Ἄργος ἐξ ἵπποβοτον καὶ Ἀχαιίδα καλλιγύναικα.

(Γ, 75, 258).

*τὴν Θεσσαλίαν*, cum laudat versum illum catalogi navium ubi nationes quae Achillis imperio subiectae sunt recensentur<sup>1)</sup>:

*Μυριδόνες δὲ καλεῦντο καὶ Ἑλληνες καὶ Ἀχαιοι.*

Meum quidem iudicium de his Apollonii locis est in suspenso; agitur de reditu in Graeciam utroque loco: licet autem pro argumento *Ἀχαιάδα* intellegi et Thessalam — Iolecum enim, unde enecti sunt, redeuntes petunt heroes (IV, 1779) —, et universam Graeciam — ex omnibus enim Graeciae partibus ad expeditionem faciendam convenerunt illi. Praeterea commemorantur *Ἀχαιάδες*<sup>2)</sup> ab Apollonio, quas scholiasta eiusdem versus<sup>3)</sup> auctoritate nisus Thessalicas tantum esse mulieres contendit. Sed pro loci sententia aliter censeo: Iasonis mater enim inducit glorians se praeter ceteras Graecas feminas floruisse; accedit quod Homerus *Ἀχαιάδες* nusquam nisi de universis Graecis feminis dicit, quo ab usu Apollonium recessisse non est cur credam, praesertim cum sit Homericum vocabulum. Venimus ad considerandum usum vocabuli *Ἑλλάδος* Apollonianum. Homerus quidem *Ἑλλάδα* nominat et dicione regnumque Achillis aut partem eius et regiones totius septentrionalis Graeciae, nusquam dicit de universa Graecia, sicut recentioris aetatis usus erat.<sup>4)</sup> Apud Apollonium autem quindecim locis, si recte numero, id vocabulum nobis occurrit: duobus, quippe ubi *Ἑλλάς* Colchidi opponatur, de universa Graecia dici appetet; uno loco enim respondet Aeetes Iasoni vellus aureum poscenti<sup>5)</sup>:

*Δώσω τοι χρύσειον ἄγειν δέρος, γῆν κ' ἐθέλησθα,  
πειραθείς· ἐσθλοῖς γὰρ ἐπ' ἀνδράσιν οὐτὶ μεγαίω,  
ώς αὐτοὶ μυθεῖσθε τὸν Ἑλλάδι κοιρανέοντα.*

altero<sup>6)</sup> Medea Iasoni, qui Ariadnae exemplo commemorato eam ut secum fugiat commovere studet, dicit:

*Ἑλλάδι πον τάδε καλά, συνημοσύνας ἀλεγύνειν.  
Αἴγτης δ' οὐ τοῖος ἐν ἀνδράσιν, οἷον ἔειπας  
Μίνω Πασιφάης πόσιν ἔμμεναι· οὐ δ' Ἀριάδνῃ  
ἰσοῦμαι.*

<sup>1)</sup> B, 684.

<sup>2)</sup> I, 284.

<sup>3)</sup> Hom. B, 684.

<sup>4)</sup> Cfr. Gladstone-Schuster l. l. p. 42 sqq. (ubi omnes loci sunt collecti).

<sup>5)</sup> III, 404 sqq.

<sup>6)</sup> III, 1104.

Praeterea saepissime dicitur de reditu aut de adventu aut de itinere ἐς Ἑλλάδα, ut sunt verba: ἐς Ἑλλάδα νόστος (I, 336) et ἐς Ἑλλάδα νοστήσαντες (III, 992) et παλίνορθον ἐς Ἑλλάδα (I, 416) et ἐς Ἑλλάδα γαῖαν ἵκεσθαι (I, 904) et Ἑλλάδα γαῖαν ἵκησι (III, 1121) et πρὸν ἐς Ἑλλάδα κῶας ἵκεσθαι (III, 339) et μεθ' Ἑλλάδα γαῖαν ἐπεσθαι (IV, 349, 369) et ἐς Ἑλλάδα μαιομένοισιν κῶας ἄγειν (II, 1195 sq.), quibus omnibus locis Ἑλλάδα Graeciam significare eodem quo recentior aetas utebatur sensu equidem intellego. Neque aliter res se habet reliquis quatuor locis: I, 1292 Telamon Iasonem insimulat Herculem invidia gloriae perductum sponte dereliquisse,

*ὅρᾳ τὸ κείνον κῦδος ἀν' Ἑλλάδα μή σε καλύψῃ,*

II, 461 leguntur verba στόλον Ἑλλάδος ἐξαιρόντα de Argonautarum turba dieta, III, 375 Aeetes heroes incusat venisse, non ut vellus reportarent, sed ut se regno depellerent,

*αὐτὶχ' ὁμαρτήσαντες ἀφ' Ἑλλάδος,*

II, 1133 de Medea sunt verba:

*Οὐ μὲν δηρὸν ἀπαρνήσεσθαι ἔμελλεν Ἑλλάδα ναιετάειν,*

quae fortasse consilio respiciunt ad illa quae antecedunt:

(v. 1104) *Ἑλλάδι πον τάδε καλά, συνημοσύνας ἀλεγύνειν.*

De Πανελλήνων (II, 209) nominis significatione dubitatio esse non potest: cadit enim prorsus in Homeri usum (Il. B, 530). Δαναῶν uno loco mentionem facit Apollonius (IV, 262), ubi de Aegyptiorum gente omnium antiquissima agit: eos enim iam iis temporibus vixisse, quibus Danai omnino non essent, sed Arcades tantum exsisterent:

*Οὐ δέ τι πω Δαναῶν ἱερὸν γένος ἦν ἀκοῦσαι πενθομένοις· οἶοι δ' ἔσαν Ἀρκάδες Ἀπιδανῆς.*

Videntur igitur hic Arcades opponi Danais, quorum nomine Homerus omnes Graecos solet appellare.<sup>1)</sup> Potest tamen sententia loci ita explicari, ut Arcades non plane diversi a Danais, sed antiquissima eorum natio habeantur. Sed de hac quidem re Homerus nihil novit: ergo infra eam paucis verbis exponam.

<sup>1)</sup> Gladstonii sententia, qui putat Δαναῶν respicere ad exercitum tantummodo Graecorum, refutata est a H. Duentzero: Homer. Abhandl. p. 566 sqq.

Homericarum nationum, quarum sedes in Graecia fuisse dicuntur, commemorat Apollonius Pelasgos, Curetes, Taphios. Atque *aīa Πελασγῶν* est, ut I, 580 appareat, Thessalia, sicut I, 906 Ioleus appellatur Pelasgis, quibus locis adiungam IV, 265 sq., ubi Deucalionis progeniem in Pelasgide terra regnasse tradit, id quod scholiasta explicat: *οἱ ἀπὸ Δευκαλίωνος τὸ γένος ἔχοντες ἐβασίλενον Θεσσαλίας, ὡς φησιν Ἐκαταῖος καὶ Ἡσίδος.* Notum autem est Homeri *τὸ Πελασγικὸν Ἀργος* illud, quod est aut pars Thessaliae aut Thessalia ipsa.<sup>1)</sup> *Κουρῆτιν χθόνα* vocat Apollonius (IV, 1227) Acarnaniam, cuius litora occidentalia heroes, postquam Ambracium sinum praetervecti sunt, secundo vento celeriter legunt. Eadem erat Ephori de huius populi sedibus sententia<sup>2)</sup>, quam fortasse Apollonius securus est: nam ex Homero, qui pugnas tantummodo inter Curetes et Aetolos commissas narrat<sup>3)</sup>, de his rebus nihil cognoscere potuit. Ephorus autem tradiderat primum Curetes omnem Aetoliam imperio tenuisse, tum vero ab Aetolio Endymionis filio devictos in eam regionem quae postea Acarnania vocabatur se recepisse.<sup>4)</sup> — His finibus vicinae sunt Echinades insulae (IV, 1228), quas Homerus Echinas nominat<sup>5)</sup>: ubi habitasse ferebantur Taphii sive Teleboae ob proelium cum Amphitryone factum celebrati.<sup>6)</sup> Apollonius eorum mentionem infert I, 747 in describendo Iasonis pallio, cui imago pugnae ob boves inter illos et Electryonis filios exortae intexta erat. Qua in narratione solum vocabulum *ληισταῖ*, quod Taphiis inditum est (I, 750), ad Homerum spectat, qui praedones eos fuisse exhibuerat<sup>7)</sup>; cetera ab illo aliena sunt, potissimum Telebarum nomen, quod plane ille ignorat. Tum quod apud Homerum Sinties Lemni insulae incolae fuisse leguntur<sup>8)</sup>, Apollonius hanc insulam *Σιντηγίδα* appellat (I, 608, IV, 1757). — Cretensium

<sup>1)</sup> Cfr. Strab. p. 221, 369, 431. — Hom. B, 681.

<sup>2)</sup> Cfr. Strab. p. 463 sq. <sup>3)</sup> I, 549 sqq.

<sup>4)</sup> Cfr. de Curetibus: Lobeck, Aglaoph. p. 1111 sqq. — Welcker, Aeschyl. Trilog. p. 174 sqq.

<sup>5)</sup> B, 525. Strab. p. 340.

<sup>6)</sup> Cfr. Hesiod. Scut. 19. adnot. intt. — Heinr. Heinii adnot. ad. Apoll. II, 4, p. 312. — Strab. p. 459.

<sup>7)</sup> o, 427: *ληιστορες ἄνδρες*; π, 426: *ληιστῆροι*.

<sup>8)</sup> A, 594; θ, 294.

regem Minoem Homerus Cnossi habitantem ibique fortiter regnantem facit: qui locus (*τ*, 178 sq.) fortasse Apollonii animo obversatus est, cum Ariadnam eius filiam *Κνωσσόθεν* (IV, 434) cum Theseo aufugisse scriberet, ubi ille eam Daedali artibus laetantem inducit (*Σ*, 591 sq.). Ex urbibus quas Homerus commemorat, nonnullas Apollonius quoque enumerat, quippe quae ob id ipsum, quod ille eorum mentionem fecerat, summae antiquitatis specie praeditae esse visae sint, ita ut eas etiam antiquioribus illis temporibus fuisse atque ab Argonautis conspectas esse fingere potuerit Apollonius. Attamen alias quoque ab illo non nominatas recenset, de quibus infra videbimus. Illae vero sunt — praeter eas, quae in Argonautarum catalogo enumerantur — Ioleus portus (I, 906)<sup>1)</sup> Meliboea Magnetum (I, 592; *B*, 717), Aulis (IV, 1777; *B*, 303, 496), Orchomenos Minyarum (II, 1095, III, 1093 sq.; *B*, 511,  $\lambda$ , 284), Dardania et Abydus et Percote et Pityea ad Hellespontum sitae (I, 931 sqq.; *Y*, 216, *B*, 829, 835 sq.), Adresteia Propontidi vicina (I, 1116; *B*, 828), de quibus non est quod moneam; sed in quinque eis Paphlagoniae oppidis, quae Apollonius commemorat (II, 943 sqq.), aliquamdiu versandum mihi est. Sunt Sesamus, Erythini, Crobialus, Cromna, Cytorus, cum ab Homero recenseantur (*B*, 853 sqq.) Cytorus, Sesamus, Cromna, Aegialus, Erythini. Quatuor igitur urbes eadem ab utroque exhibentur, Sesamus, Erythini, Cromna, Cytorus, quintam adiecit ille Aegialum, Apollonius Crobialum<sup>2)</sup>: eum autem Homeri locum illum novisse sine ulla dubitatione contenderim: neque vero haec differentia mihi admodum mira videretur, nisi Strabo<sup>3)</sup> traderet pro illa usitata lectione Homericī loci, qua legitur:

*Κρῶμναν τ' Αλγιαλόν τε καὶ ὑψηλοὺς Ἐρυθίνους,*  
fuisse alteram, qua essent verba:

*Κρῶμναν Κωβίαλόν τε.*

<sup>1)</sup> Cfr. III, 1090; Hom. *B*, 712;  $\lambda$ , 256: *Ιαωλκός*.

<sup>2)</sup> De scriptura dubitatio non est: cfr. Merkeli edit. p. 117.

<sup>3)</sup> p. 545: ὁ δὲ Αλγιαλὸς ἔστι μὲν ὕδωρ μακρὰ πλειόνων ἢ ἔκατὸν σταδίων, ἔχει δὲ καὶ κώμην ὅμονυμον, ἣς μέμνηται ὁ ποιητὴς ὅταν φῆ „Κρῶμναν τ' Αλγιαλόν τε καὶ ὑψηλοὺς Ἐρυθίνους“. Γράφοντι δέ τινες „Κρῶμναν Κωβίαλόν τε.“ — cfr. Bidder, De Strabonis studiis Homericis. Regimont. 1889. p. 45 et 50.

Apollonii autem locus est:

*Κρωβίαλον Κρῶμνάν τε καὶ υλήεντα Κύτωρον.*

Mira est similitudo vocabulorum illorum Cobiali et Crobiali, quae ad nostram quaestionem ipsam quam maxime spectat. Atque etiam augetur difficultas eo quod scholiasta Apollonii, qui Strabonis locum exscripsit, lectionem *Κρώμναν Κρωβίαλόν τε* praebet: adnotat enim ad II, 942 haec: *Κρωβίαλος πόλις περὶ Πασλαγοτίαν, ἡς μέμνηται Στρατόπεδον ἐν Γεωγραφουμένοις παρ’ Ομήρῳ δὲ μεταγράφεται ἀντὶ τοῦ „Κρώμναν τὸ Αλγιαλόν τε“, „Κρώμναν Κρωβίαλόν τε“;* contra Stephanus<sup>1)</sup> et Eustathius<sup>2)</sup> qui item illius locum ipsum laudant, exhibent lectionem alteram *Κρῶμναν Κρωβίαλόν τε* aut *Κρῶμναν Κρωβίαλόν τε*, cum iidem<sup>3)</sup> Apollonii lectionem fuisse *Κρωβίαλον Κρώμναν τε* vel *Κρῶμνάν τε* confirmant; Valerius Flaccus quoque, Apollonii, ut ita dicam, imitator, Crobiali oppidi mentionem facit.<sup>4)</sup> Denique Stephanus Byzantius<sup>5)</sup> Apollonii lectionem fuisse *Κρωβίαλον* confirmat ipsius locum laudans: *Κρωβίαλος πολίχνιον πρὸς τὴν Ποντικὴν Απολλώνιος δευτέρῳ „Κρωβίαλον Κρῶμνάν τε καὶ υλήεντα Κύτωρον“.* Oi oīkoūntes Κρωβίαλεῖς. Quae postrema leguntur verba οἱ οīkoūntes Κρωβίαλεῖς ex Apollonio fluxisse non possunt, cum is incolas huius oppidi non commemoret: nomen igitur illud *Κρωβίαλεῖς* ex alio auctore mutuatus esse videtur Stephanus et quamquam quis hic fuerit dici nequit, tamen etiam hoc testimonio lectio *Κρωβίαλος* confirmatur. Atque Muellerus apud Strabonem quoque *Κρωβίαλον* esse restituendum censet: id quod equidem non plane repudiem, etsi hoc quoque fingi licet, Cobialum et Crobialum fuisse varia nomina unius eiusdemque vici atque differentiam illam, quae est levissima, exortam esse e barbarie vel inconstantia vocum Graecis auribus insolitarum atque utramque nominis formam in

<sup>1)</sup> v. *Αλγιαλός*.

<sup>2)</sup> ad. Il. B, p. 362 ed. Lips. (complectitur Homerum, Strabonem Apollonium).

<sup>3)</sup> Steph. Byz. v. *Κρωβίαλος*; Eust. l. l.

<sup>4)</sup> Argonaut. V, 102.

<sup>5)</sup> v. *Κρωβίαλος*. Cfr. Mueller. ad Arrian. per. 20, cuius sententiam repudio. — Geffcken, De Stephano Byzantio capita duo. Diss. Gotting. 1886, p. 23.

usu fuisse. Erat igitur pro usitata lectione Homeri *Κρῶμνάν τ' Αἴγιαλόν τε* altera *Κρῶμναν Κρωβίαλόν τε* vel *Κρωβίαλόν τε*. Iam quaeritur num iam Apollonio hae duae lectiones notae fuerint. Atque e Crobiali commemoratione affirmaverit quispiam hanc quaestionem atque putaverit ab illo alteram qua scriebatur *Κρῶμναν Κρωβίαλόν τε* praelatam esse: quae opinio saltem probabilis est.<sup>1)</sup> Sed praeter Homerum hoc loco alium auctorem, atque eum, ut videtur, geographum, ab Apollonio inspectum esse suspicor eo quod quattuor eas urbes, de quibus ex aliis paulo certiores sumus quam de Crobialo, ordine geographicō ab occasu ad orientem versus, sicut Argonautae iter legunt, recenset, cum Homerus eas promiscue enumeret. Occurrunt enim ab occasu ad orientem euntibus hoc ordine, ut periplorum auctores<sup>2)</sup> diserte indicant: Sesamus, quae urbs inde a tertio ante Christum natum saeculo etiam Amastris nominabatur, Erythini, Cromna, Cytorus; Apollonius vero, nisi quod inter Erythinos et Cromnam Crobialum illud oppidum illis ignotum inserit, ordinem servat, id quod, ut equidem censeo, auctori geographicō debet. Eadem ratione commoveor, ne credam Crobialum vel, si hunc quoque nominis eloquendi et scribendi modum vere fuisse statuas, Cobialum et Aegialum unum idemque esse oppidum, sicut fortasse quis senserit.<sup>3)</sup> Est enim Aegialus vicus a Cytoro ad orientem versus<sup>4)</sup> situs, cum Crobialus, si Apollonium etiam in hac urbe enumeranda ordinem retinuisse putamus, inter Erythinos et Cromnam posita ad occasum spectasse videatur. Ergo quamquam negari non potest, Apollonium lectionem illam, quam Strabo asservavit, Homericam non ignorasse eamque alteri praetulisse causis commotum nescio quibus — nam e metricis rationibus eum ductum esse non est credendum, cum *Αἴγιαλόν* non minus quam *Κρωβίαλον* in numerum cadat, — tamen consideranti mihi enumerandi ordinem ab Homericō modo plane diversum verisimile videtur eum non e solo Homero,

<sup>1)</sup> Cfr. Merkel. Prolog. p. CXXXIV: sed tenedum est apud Apollonium legi *Κρωβίαλον Κρῶμνάν τε*, non *Κρῶμναν Κρωβίαλόν τε*.

<sup>2)</sup> Arrian. 20 (Müller); Anon. per. 17; Marcian. epit. per. Mennipp. 9 (omissis Erythinis).

<sup>3)</sup> Cfr. Panly's Real-Encyklop. v. Aegialus.

<sup>4)</sup> Cfr. Arr., Anon., Marc. per. ll. ll.

sed etiam ex alio auctore hanc notitiam esse mutuatum. Illud vero accurate Homeri memoriam refert, quod Sesami nomen retinuit Apollonius, cum sua aetate illa urbs vocaretur Amastris ex uxore Dionysii Heracleotarum tyranni.<sup>1)</sup> Praeterea ad Homericos Enetos<sup>2)</sup>, Paphlagonum nobilissimam tribum, ut censet Strabo<sup>3)</sup>, spectat, quod Pelops rex Paphlagonum appellatur Ἐνετήος (II, 358); etiam Parthenius fluvius Homero notus est eodemque illo loco commemoratur<sup>4)</sup>, cum Apollonius uberioris de eo agit (II, 938 sqq.). Sed de ea Paphlagoniae orae parte, cui erat nomen Αίγιαλός (II, 947), infra dicemus, quod ad Homerum non spectat, sed ad Strabonem qui in hac re graviter dissentit ab Apollonio. Quae Apollonius de Theba Aegyptia, quam vocat Θήβην Τοιτωνίδα, tradit, ab Homero sunt aliena: hic divitias magnitudinemque laudibus effert<sup>5)</sup>, ille sacerdotum peritiam reconditam praedicat (IV, 259 sq.). Aethiopibus vero rursus eas, quas Homerus voluit, assignat sedes, quas is bipartitas esse exposuerat<sup>6)</sup>, ita ut una illius populi pars in orientis regionibus extremis, altera in occidentis finibus ultimis habitare dicatur; Apollonius quidem occidentalium tantum Aethiopum mentionem infert (III, 1190 sq.): neque credo eum has Homericas fabulas ad sua aetatis rationes — sicut Strabo<sup>7)</sup> absurde facit — accomodare studuisse. — Quoniam hominum regiones circumspeximus, nunc deorum sedes delubraque adeamus. Saepius enim Apollonius, cum heroem vel heroidem cum deo vel dea comparat, eius templa fanaque nobilissima enumerat<sup>8)</sup>, quorum quamquam nonnulla ab Homero quoque commemorantur, tamen cum ei non sint propria, infra in ceterorum conexu tractanda mihi reservo: sed de deorum domiciliis Homericis, etiamsi vix ad geographiam pertinent, tamen pauca adiungam. Superis deis

<sup>1)</sup> Strab. p. 544. — cfr. Schneiderwirth, Das pontische Heraclea. Progr. Heiligenstadt. 1881/82, p. 34. — Stiene, De Heracleot. Pont. re-publica. Monast. 1870, p. 37.

<sup>2)</sup> B, 852.

<sup>3)</sup> p. 543 (*το δὲ μάλιστ' δυολογούμενον ἐστιν, ὅτι ἀξιολογάτατον ἦν τῶν Παφλαγόνων φύλον οἱ Ἐνετοί.*)

<sup>4)</sup> B, 854.

<sup>5)</sup> I, 381 sqq.; δ, 126 sq.

<sup>6)</sup> α, 22 sqq.

<sup>7)</sup> Cfr. p. 3, et 30 sqq.

<sup>8)</sup> Cfr. I, 307 sqq. (de Iasone); III, 875 sq. (de Medea); III, 1239 sqq. (de Aeeta cum Neptuno comparato); I, 536 sq.

sedem esse Olympum montem, sicut Homerus indicaverat, ita apud Apollonium legimus<sup>1)</sup>; neque vero aut ab hoc aut ab illo discernuntur terreni montis et caelestis domus rationes, sed plane confunduntur: quae res, ut ex Homeri illo loco, ubi Iupiter minitans inducit se cunctum terrarum orbem sublaturum et ad Olympi cacumen alligaturum esse, ita ut πάντα μετήροια pendeant, ita ex Apollonii verbis appetat: dicit enim de Venere quae Cupidinem filium quaerit (III, 113 sqq.):

*Βῆ δ' ἵμεν Οὐλύμποιο κατὰ πτύχας, εἴ μιν ἐφεύροι.  
εὗρε δὲ τὸν γέντενθε Διὸς θαλερῷ ἐν ἀλωῆ,  
οὐκ οἶον, μετὰ καὶ Γανυμήδεα, τὸν δά ποτε Ζεὺς  
οὐρανῷ ἐγκατένασσεν ἐφέστιον ἀθανάτοισιν . . .;*

atque similia sunt verba III, 159 sqq.:

*Αὐτὰρ ἔπειτα πύλας ἐξήλυνθεν Οὐλύμποιο  
αἰθερίας· ἐνθεν δὲ καταιβάτις ἐστὶ κέλενθος  
οὐρανίη . . . .*

Pro geographicā vero ratione montis Olympi mentionem facit uno loco I, 598, ubi tradit eum ab Argonautis e navi esse conspectum. Vulcani officinam supra paucis verbis attigi: quam quod aequa atque Aeoli regiam in Planetarum vicinitate<sup>2)</sup> atque etiam ipsam in insula „plancta“ esse fingit<sup>3)</sup> Apollonius, ab Homero prorsus abhorret: qui nonnisi Aeolum ventorum regem πλωτῇ ἐνὶ νήσῳ<sup>4)</sup> habitantem facit, cum de huius domicilio Apollonius quidem omnino nihil exponat. In his igitur rebus ab illo recedit Apollonius aliorumque auctorum vestigia persequitur: atque e scholiasta<sup>5)</sup> cognoscimus Pytheam, quem sine dubio Massiliensem illum geographum intellegit, ἐν Περιόδῳ γῆς et Agathoclem<sup>6)</sup>, cuius de aetate paene nihil constat, ἐν τοῖς Υπομνήμασι de hac Vulcani officina in Lipararum insularum una vel altera esse credita multa et illum quidem, pro more

<sup>1)</sup> II, 695; IV, 779; III, 113.

<sup>2)</sup> Cfr. IV, 954 sqq.; v. supra p. 13.

<sup>3)</sup> III, 41 dicitur de Vulcano:

*Ἄλλ' δέ μὲν ἐς χαλκεῶνα καὶ ἄκμονας ἡροὶ βεβήκει  
νήσου πλαγκτῆς εὐρὺν μυχόν, φέν πάντα  
δαίδαλα χάλκευεν ὅπῃ πυρός . . .*

<sup>4)</sup> z. 3. <sup>5)</sup> ad IV, 761. cfr. Strab. p. 275 sq.

<sup>6)</sup> de Agathocle cfr. Mueller, Fragm. hist. Gr. IV, 285 fr. 9.

suo, satis mira prodiisse. Denique quod Nerei, senis marini, domum in Aegaeo mari<sup>1)</sup> esse Apollonius dicit, ex Homeri loco illo<sup>2)</sup> fluxisse videtur, ubi, aequa atque apud hunc ipsum legimus (IV, 768 sqq.), Iris, ut Thetidi mandata quaedam deferret, inter Imbrum et Samum<sup>3)</sup> insulas mari se immersisse narratur.

## II. De ceteris rebus geographicis.

Reliquae carminis partes praecipue sunt de Cyzico insula, de Heracleae Ponticae regione, de populis quibusdam Ponti litora meridiana habitantibus, de Colchis, de Istro, Eridano, Rhodano fluviis, de Libyco lacu Tritone. Atque videbimus Apollonium mirum in modum fabulis miscere res fide historica confirmatas, modo vera tradere modo falsa, et poetarum licentia usum esse et auctorum locupletissimorum libros adhibuisse. Priusquam autem ad res ipsas tractandas transeo, nonnulla de fontibus<sup>4)</sup> praemittenda esse existimo. Constat satis multos libros Apollonio praesto fuisse, e quibus geographicas descriptiones, si quae aptae sibi viderentur, adhiberet eligeretque. Supra enim demonstravimus eum, ut Homeri narrationes uberius illustraret, aliorum auctorum libros de illis rebus inspexisse. Et commemorat scholiasta satis multos, sed in singulis rebus quo auctore usus sit Apollonius difficile est dictu, quod claris verbis, quis fuerit fons, perraro indicant scholia: quae si de hac retacent, nos quidem omnino nihil explorare possumus, cum paene omnes libri, e quibus Apollonius res illas mutuatus esse videntur, deperditi sunt. Ergo ex scholiastae adnotationibus prorsus nostrum iudicium pendet.<sup>5)</sup> Neque vero id mihi agendum esse duco, ut omnes auctores, e quibus hauriendi Apollonio potestatem

<sup>1)</sup> IV, 770.      <sup>2)</sup> Λ, 77 sqq.

<sup>3)</sup> Est Samothrace intellegenda, cfr. Strab. p. 457.

<sup>4)</sup> Cfr. Weichert p. 133 sqq. — G. E. Groddeck, Biblioth. der alten Litteratur und Kunst, II, p. 61 sqq. Göttingen 1787.

<sup>5)</sup> Nimirum ea quae scholiis de fontibus Apollonii traduntur omnia recte se habere minime extra dubitationem est, eo quod veteres illi commentatores, cum permuli libri de singulis rebus essent, quem quoque loco evolvisset poeta, statuere vix potuerunt: sed nos quidem, cum illi libri paene omnes deperditi sint, nihil nisi ad scholiorum testimonia confugere possumus.

fuisse statui licet indagem; sed eos tantummodo colligam et recensebo, quos fontes illius fuisse aut dilucide tradit scholiasta aut ex eius verbis suspicari possumus vel saltem probabile est.<sup>1)</sup> Atque primum quidem ii qui ipsa Argonautica versibus aut oratione soluta confecerunt, cum alias tum geographicas cognitiones poetae nostro exhibuisse videntur, et ii potissimum qui recentioribus temporibus vixerunt — nam antiquiores, ut Pindarus docet, geographiam uberioris non tractasse censeo —, ut Herodorus, Socratis aequalis, ut Muellerus coniecit<sup>2)</sup>, qui Heraclaeae Ponticae natus de rebus ibi ab Argonautis gestis verba fecisse videtur, quamquam ut Apollonii auctor nusquam apud scholiastam commemoratur, et Cleo Curiensis<sup>3)</sup>, cuius aetas etsi certe definiri non potest, tamen e scholiastae Ap. Rh. I 623 verbis, quibus dicit Asclepiadem Myrleanum demonstrasse, δῖτι παρὰ Κλέωνος τὰ πάντα μετήνεγκεν Ἀπολλώνιος, concludi licet: apparet igitur Apollonio antiquorem esse. Agit autem illo loco de Sicino insula antea Oenoea nominata.<sup>4)</sup> Deinde Antimachus poeta commemorandus est, ex quo Apollonium fabulam de Strophadibus insulis cognovisse scholiasta Ap. Rh. II, 296 his verbis tradit: Στροφάδας φησὶ κεκλῆσθαι διὰ τὸ τοὺς Βορεάδας αντόθεν ὑποστρέψαι τραφέντας εἰς τούπισω, λαβὼν παρὰ Ἀντιμάχουν. Constat illum de Argonautis egisse in eo carmine, quod inscriptum erat Lyde, atque probabile est eum pro doctrina sua multa Apollonio suppeditavisse. Potissimum autem historicorum et geographorum libros inspexit Apollonius: logographi enim illi, qui fabulas tractabant, saepius etiam de regionibus, quae ad eas pertinebant, verba facere solebant. Et saepissime quidem a scholiasta laudatur Pherecydes<sup>5)</sup> atque uno loco diserte auctor Apollonii fuisse confirmatur II, 990, ubi adnotat ille: Αργονία

<sup>1)</sup> Cfr. I. Peters, De C. Valerii Flacci vita et carmine. Diss. Königsberg. 1890, p. 60 sqq.

<sup>2)</sup> Cfr. Fragm. hist. Gr. II, 27, fr. 1, 14, 15, 23, 25, 35, 36, 38—46, 48—59.

<sup>3)</sup> Cfr. Weichert p. 150 sqq.

<sup>4)</sup> Cfr. Strab. p. 484; Stephan. Byz. v. Σίξινος.

<sup>5)</sup> Mueller, Fragm. hist. Gr. I, 70 sqq. fr. 2, 5, 7, 9, 10, 13, 14, 21, 23, 25, 26, 29, 32, 33, 38, 40, 41, 43, 44, 54, 58, 59, 61—73, 80, 81, 88, 93, 102a, 103, 104, 115.

*νύμφη Ναΐς, ἡς καὶ Ἀρεως Ἀμαζόνας εἶναι φησι Φερεκύδης,  
φὲ ἔπεται Ἀπολλόνιος.* Deinde Acusilai<sup>1)</sup>, Charonis<sup>2)</sup>, Hecataei<sup>3)</sup>, Hellanici<sup>4)</sup> mentio fit; neque tamen num quid ex iis Apollonius sumpserit, clare explicatur. Ceterorum historicorum qui quidem notiores sint afferuntur Ephorus<sup>5)</sup> Herodotus<sup>6)</sup> Theopompus<sup>7)</sup>, Timaeus<sup>8)</sup>, quorum libros evolvisse Apollonium etiamsi probabile est tamen e scholiastae adnotationibus demonstrari nequit. Atque etiam num Xenophontis<sup>9)</sup> Anabasin inspexerit ille, ubi de gentibus quae Ponti oras incolebant, egerit, admodum dubium est: nam scholia ipsis illis locis, ut infra videbimus, alios fontes indicant. His adiungam nomina historicorum et geographorum a scholiasta laudatorum, quos aut ante Apollonium aut fere iisdem atque ipsum temporibus vixisse constat, ita ut ex eorum libris haurire potuerit. Sunt Andro, Aristoteles, Calisthenes Olynthius, Ctesias, Deilochos, Hermippus, Leo, Neanthes, Nymphis, Nymphodorus, Philostephanus, Timosthenes, Timagetus. Quorum quatuor accurate confirmantur auctores Apollonii fuisse, Deilochus<sup>10)</sup> schol. Ap. Rh. I, 1037 ubi sunt verba: *ἡξολούθηκε δὲ Ἀπολλόνιος Δηιλόχῳ, Νυμφίᾳ* schol. Ap. Rh. II, 729 verbis: *Νύμφις ἐν τῷ περὶ Ἡρακλεῖας ἀ φησι, παρ’ οἱ Ἀπολλόνιος ἔστι ταῦτα μεταφέρειν*<sup>12)</sup> (sc. descriptionem Acherusiadis promunturii prope Heracleam Ponticam siti), Nymphodorus<sup>13)</sup> schol. Ap. Rh. III, 202, de quo dicitur:

<sup>1)</sup> Cfr. Mueller, l. l. I, 100 sqq.: fr. 5, 8, 9, 10, 29.

<sup>2)</sup> id. I, 32: fr. 7, 12.

<sup>3)</sup> id. I, 1 sqq.: fr. 187, 334, 337, 338, 339, 352.

<sup>4)</sup> id. I, 45 sqq.: fr. 2, 15, 29, 32, 39, 59, 60, 61, 86, 87, 88, 92, 94, 113, 129.

<sup>5)</sup> id. I, 234 sqq.: fr. 9, 76, 79, 81, 83, 84, 103, 104, 108.

<sup>6)</sup> schol. Ap. Rh. I, 1024; II, 675, 946; III, 1085; IV, 272, 277.

<sup>7)</sup> Mueller l. l. I, 278 sqq., fr. 52, 113, 177, 341 (et schol. Ap. Rh. IV, 308).

<sup>8)</sup> id. I, 193 sqq.: fr. 1, 5, 7—9, 53, 54.

<sup>9)</sup> a scholiasta Ap. Rh. omnino nusquam Xenophon laudatur.

<sup>10)</sup> cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. II, 17 sqq. fr. 1—10.

<sup>11)</sup> id. III, 12 sqq. fr. 2, 3, 5—9, 14, 18, 19.

<sup>12)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. II, 786: *ὅτι δὲ Φούγας ἔχειρώσατο (sc. Ηρακλῆς) τοῖς Μαριανδυνοῖς καὶ Νύμφις ἴστορεῖ. Λιὸς καὶ οὗτω γράφει* (sc. Apollonius).

<sup>13)</sup> Cfr. Mueller, l. l. II, 375 sqq. fr. 15—18.

ώς φησι *Νυμφόδωρος*, ὁ ἡκολούθησε (sc. Apollonius), Timagetus<sup>1)</sup> schol. Ap. Rh. IV, 284 verbis: ἐξω Τιμαγήτον, ὁ ἡκολούθησεν Ἀπολλώνιος. Satis gravis offendio nobis occurrit in Theolyto: ex eo enim narrationem de Thoante rege Sicinum insulam antea Oenoeam nominatam a piscatoribus transportato Apollonium hausisse prodit scholiasta Ap. Rh. I, 623 (p. 337, 25 Keil.) eum dicit: εἰληφε τὴν ιστορίαν παρὰ Θεολύτον: atqui infra (v. 31 eiud. pag. Keil.) narrat, Asclepiadem Myrleanum demostrasse, e Cleone omnia mutua sumpsisse Apollonium: pugnant haec inter se atque Muellerus<sup>2)</sup> difficultatem sic removere studet, ut iudicet Apollonium e Cleone, Cleonem e Theolyto hausisse: quae sententia a specie probabilitatis non abhorret. Quod vero Promathidam<sup>3)</sup> Apollonii auctorem fuisse contendit scholiasta II, 911 verbis: τὴν δὲ περὶ Σθενέλου ιστορίαν ἔλαβε παρὰ Προμαθίδα, sine dubio erravit: nam multo post Apollonium ille vixit<sup>4)</sup>; recte igitur Lehrsius<sup>5)</sup> hunc locum emendavit lacunam extare indicans: τὴν δὲ περὶ Σθενέλου ιστορίαν ἔλαβε παρὰ . . . (ἔστι καὶ παρὰ) Προμαθίδα. Praeterea in scholiis nonnulli rerum scriptores commemorantur, quorum aetates plane nobis ignotae sunt, ita ut exquirere omnino non possimus, utrum eorum libris usus sit Apollonius necne. Denique laudantur quos post Apollonium floruisse satis constat. Haec habui quae universe de fontibus Apollonii dicerem: uberius de iis, quorum libri ad geographiam pertinebant, suis locis infra disseram. Iam ad res ipsas accedamus.

Atque primum quidem de navigatione inde ab Iolco usque ad Cyzicum facta<sup>6)</sup> quaerenti mihi in descriptione orae Magnesiae duae res occurunt, quae aliquam offendionem praebent: sunt autem positae in urbe Piresiis et in loco qui Aphetae Argus vocabatur. Iam vero exquiramus, quomodo Apollonius cursum navis describat atque videamus, num ea quae prodit geographorum rationibus respondeant.<sup>7)</sup> E portu Pagasarum de-

<sup>1)</sup> Cfr. Mueller, l. l. IV, 519 sq. fr. 1—5: scripsit περὶ λιμένων.

<sup>2)</sup> l. l. IV, 515.

<sup>3)</sup> Mueller III, 201, fr. 1—4.

<sup>4)</sup> Cfr. Mueller, l. l.

<sup>5)</sup> Herodiani scripta tria p. 432.

<sup>6)</sup> I, 519—935.

<sup>7)</sup> v. H. Kiepert, Topographisch-Historischer Atlas von Hellas. Berl. 1846. t. XIV et XVI., Atlas ant. t. VI. — Bursian, Geographie

gressi esse narrantur heroes I, 524—559, ubi sunt verba extrema:

*Oī δ' ὅτε δὴ λιμένος περιηγέα κάλλιπον ἀκτὴν . . .;*  
 primum Tisaeum promunturium in meridiana Magnesiae ora situm praetervehuntur (I, 568), tum cum Thessalia terra e conspectu tollitur, praeter abscissa cacumina Pelii montis iter faciunt (v. 580 sq.). Haec omnia recte se habent; iam obseuriora sunt verba poetae: satis mire enim dicit (v. 582 sq.) Sepiadem actam e conspectu sublatam esse, cum Sciathus insula — quae illi est obtenta<sup>1)</sup> — in conspectum prodiret. Consentaneum vero est, Argonautas, cum per fretum ipsum quod est inter duo illa loca navigandum iis esset, e sinistra manu illud promunturium, e dextra manu hanc insulam cernere potuisse. Sed haec sunt leviora: illa vero graviora quae de Piresiis et Aphetis sunt (ib. v. 583 sqq.); quaeritur ubi sitae fuerint Piresiae quam urbem Magnesiae esse scholiasta<sup>2)</sup> adnotat: Apollonius vero ipse nihil dicit nisi *ἄπωθεν*, e longinquo, eam ab heroibus esse conspectum, cum Sepiadem actam praeterveherentur. Ab illa igitur urbe Piresiis, quam fere media in Thessalia prope eum locum ubi Enipeus et Apidanus confluunt sitam esse tradit Apollonius<sup>3)</sup>, hanc quam e navi conspicere potuerant Argonautae diversam esse manifestum est; videntur igitur duae urbes fuisse quibus nomen Piresiae erat: id quod Stephanum Byzantium<sup>4)</sup> affirmare puto: is enim et tradit Pirasiam sive Piresiam<sup>5)</sup> esse urbem Magnesiae et Asterium Thessaliae urbem, quam Homerus commemorat, sua aetate vocari Piresiam: atque quaeritur iam, utrum haec eadem atque illa fuerit an eae urbes duae plane inter se diversae fuerint; quae in re dijudicanda tenendum est Stephanum, cum Piresiam urbem Magnesiae, Asterium oppidum Thessaliae vocat, has urbes inter se discernere, quamquam non ignoro scriptores Thessaliae nomine non solum ipsam proprie dictam regionem Thessalicam, sed etiam terras vicinas ut Mag-

v. Griechenland I, p. 96—104. — Lolling, Geogr. u. Geschichte d. griech. Altert. (Iw. Muellers Handbuch III) p. 153 sqq.

<sup>1)</sup> Strab. p. 446; cfr. Lolling l. l. p. 194.

<sup>2)</sup> ad I, 583. <sup>3)</sup> I, 37 sqq.

<sup>4)</sup> v. Πειραιστα et v. Αστέρειον.

<sup>5)</sup> e conject. Meinekii; cfr. adnot. crit. edit. p. 514.

nesiam, amplecti<sup>1)</sup>, ita ut quispiam putet Stephanum illo loco ampliore significatione vocabuli Thessaliae uti: id quod equidem reprobo, cum hic usus a geographorum diligentia abhorreat. Ergo etiamsi ab alio auctore neque Piresia neque Pirasia neque Piresiae urbs omnino commemoratur, tamen non est cur testimonia scho- liastae et Stephani pro nihilo aestimemus. Atque etiam si Asterium et Pirasiam inter se diversas fuisse statuimus, probe Apollonius et Stephanus consentiunt, cum differentiam illam non ita gravem mittere liceat quae in eo est quod ille plurali, hic singulari numero — ubi tamen lectio non constat<sup>2)</sup> — utitur: Asterium enim fuisse Thessalicas Piresias ad Enipeum Apidanumque confluentes sitas<sup>3)</sup>, Piresiam sive Pirasiam respondere Piresis quam urbem Argonautae e navi conspexisse dicuntur<sup>4)</sup>, cum hoc Magnetum oppidum fuisse Stephanus prodat, apte statuere possumus. Attamen cum de situ huius alterius Magnesiae urbis omnino nihil sciamus, non omnis suspicio removetur remanetque dubitatio num omnia haec recte se habeant. In Aphetais Argus vero errasse videtur Apollonius: hunc locum, cui nomen e discessu Argus navis inde, ut fama erat, facto inditum erat, secundum Apollonii descriptionem in ora orientali Magnesiae fuisse dilucide inde appetat quod post Sepiadem promunturum commemoratur: accuratius autem eius situs definiri nequit: nam ubi tumulus Dolopis herois<sup>5)</sup>, ad quem appulsi Argonautae, cum biduum ibi commorati essent, e Graecia degressi esse dicuntur, unde nomen loci exortum esset (I, 585—591), situs fuerit, diligentius non produnt ii qui eius mentionem faciunt: id unum dicunt eum in ora orientali Magnesiae fuisse. Secundum Apollonium autem hunc ipsum locum esse Aphetas Argus estimare debemus. Atque in hac re ceteri, Herodotus<sup>6)</sup>, Strabo<sup>7)</sup>, Stephanus<sup>8)</sup> graviter ab illo dissentiunt, cum Aphetas intra sinum

<sup>1)</sup> Cfr. Bursian I. l. I, p. 96.

<sup>2)</sup> Cfr. Meinekii edit. Steph. p. 514 adnot. crit.

<sup>3)</sup> Cfr. Leake, Travels in Northern Greece IV, 323, 493. — supra p. 6.

<sup>4)</sup> Cfr. Leake, p. 383.

<sup>5)</sup> I, 585: τύμβος Δολοπήιος, cfr. schol. Ap. Rh. I, 587. — Orph. Argon. 463: Δόλοπος σῆμα. — Valer. Flacc. II, 10: Dolopeia busta.

<sup>6)</sup> VII, 193.

<sup>7)</sup> p. 436.

<sup>8)</sup> v. Ἀφεταῖ. De accentu cfr. Steph. thesaur. s. v. *ἀφεταῖ* (apie-

Pagasaeum sitas fuisse omnes tradunt, quamquam de loco accutatius definiendo est differentia non ita levis inter Herodotum et Strabonem.<sup>1)</sup> Apud Apollonium autem legimus iam I, 568 heroes Tisaeum promunturum praetervectos esse, quod est extra sinum illum: tum demum commemorantur Sepias et Aphetae (v. 582, 591): hic igitur sine dubio Apollonius erravit atque diversa inter se confusisse videtur: nam tumulum Dolopis ibi, ubi Apollonius eum fuisse narrat, re vera fuisse probabile est: sed Aphetae certe non erant hoc eodem loco, sicut ille contendit; et si hanc rem animo plane complector, nescio an suspicer eum etiam de Piresiis illis Magnesiis hallucinatum esse atque probo verba Bursiani<sup>2)</sup> de hoc Apollonii loco dicentis: „Die Schil-derung bei Apollonius Rhodius I, 585 ss. ist zu unklar, um daraus einen irgend sichern Schluss über die Lage der ἄστη Ἀφέται zu ziehen.“ Neque tamen ob hanc rem vituperem poetam, qui non debet fidem historicorum vel geographorum praestare. — In reliqua Magnesiae descriptione novas difficultates invenimus. Aphetis enim degressi Argonautae praeter-vehuntur Meliboeam, urbem iam Homero<sup>3)</sup> notam, et omne litus ob tempestates nautis periculosissimum<sup>4)</sup>: tum Homolen montem in mare prominentem, ubi Amyrus fluvius effluere dicitur, et Eurymenas oppidum et saltus Ossae Olympique montium con-spicunt, unde iam ad Pallenen paeninsulam cursum deflectunt<sup>5)</sup>: quibus in rebus offensionem movent Homole mons et Amyrus fluvius, quorum de situ Apollonius male se instructum esse de-monstrat. Nam Homole sive Homolium mons ab Ossa ad sep-temtrionem vergebant<sup>6)</sup>: erat igitur ei, si modo e ratione et ordine descriptionem exhibere voluit, post Eurymenas et Ossam nominandus: de Amyro autem timeo ne rursus Apollonius valde erraverit. Scimus enim Amyrum rivum prope Lacream urbem, Aesculapii patriam<sup>7)</sup>, in Boebeidem lacum influxisse, quibus de rebus

<sup>1)</sup> Cfr. Bursian I. l. I, p. 101.

<sup>2)</sup> I. l. Anm. 4.

<sup>3)</sup> Qua de re supra dictum est (p. 22).

<sup>4)</sup> I, 593: αλγιαλόν τε δυσήνεμον. cfr. Bursian I, 100 sq.

<sup>5)</sup> I, 592—599.

<sup>6)</sup> Bursian 1, 98.; Lolling p. 154.

<sup>7)</sup> Cfr. Pind. Pyth. III, 34. Strab. p. 442, 647.

Apollonius IV, 614 sq. dicit: sed Amyrum fluvium in ora orientali Magnesiae in mare effluxisse praeter Apollonium et Valerium Flaccum eius imitatorem nemo tradit. Atque recte Bursianum<sup>1)</sup> de hoc altero Amyro iudicare censeo, cum dicit: „Dass Apollonius Rhodius I, 596 und Valerius Flaccus II, 11 den auf der Ostküste nördlich von Meliboea ins Meer fliessenden Bach Amyros nennen, kann, wenn man nicht zwei Flüsse dieses Namens in derselben Gegend annehmen will, nur als ein geographischer Irrthum betrachtet werden.“ Vidimus igitur non omnia quae Apollonius tradit quadrare ad ea quae ex aliis scriptoribus, praecipue e geographis, de his regionibus comperimus: quae cum ita sint, censeo eum his locis auctores non ita locupletes adhibuisse: atque e scholio I, 587 fortasse de Cleone cogitari licet: is enim de Dolope heroë, cuius ad sepulchrum Argonautae appulsi sunt, verba fecisse dicitur.<sup>2)</sup> Sed quoniam de eius ingenio atque indole paene nihil constat, vereor ea de quibus Apollonius erravit illi tribuere. — Canastraeum promunturium Palleneae paeninsulae (v. 599) et Atho montem (v. 601) praetervecti heroes Lemnum perveniunt atque liberali hospitio in urbem Myrinam recipiuntur: quibus in rebus nihil nisi pauca de v. 602 sqq., ubi Apollonius narrat Atho montem umbram suam usque ad Myrinam misisse, habeo quod addam. Primus enim, quem quidem nos sciamus, Sophocles hanc rem, a Plinio quoque prolatam<sup>3)</sup>, commemoravit, cum diceret:

*Ἄθως σκιάζει νῦτα Ληνίας βοός . . . .*

quem versum in Etymologico Magno<sup>4)</sup> laudatum invenimus. Atque fortasse — nam plus dicere non audeo — animo Apollonii obversata sunt illa verba. Deinde quae de spatio quo Lemnus ab Atho monte distat Apollonius prodit recte se habere, si Stephani verba quae sunt de umbra illius montis<sup>5)</sup> cum Herodoti

<sup>1)</sup> ibid. I, 104, Anm. 2.

<sup>2)</sup> Ο δὲ Δόλον Ἐρμοῦ νιός, διὸ ἐν Μαγνήσσῃ τῇ πόλει (credit enim scholiasta esse eam urbem in regione cui idem nomen erat, cfr. schol. I, 583) ἀπώλετο καὶ αὐτίθι τάφον παρὰ τῷ αλισσῷ ἔσχεν, ὃς Κλέων ἐν πρώτῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν. cfr. Leake l. l. IV, p. 381 sq.

<sup>3)</sup> IV, 73 Ian.

<sup>4)</sup> p. 26, 16.

<sup>5)</sup> v. Ἄθως : Βάλλει δὲ ἡ σκιὰ τοῦ ὄρους ἐπὶ σταδίους τριακοσίονς.

ratioinatione de cursibus navium<sup>1)</sup> comparamus, non est cur negemus. Ille enim prodit umbram montis Athonis in trecenta stadia eici, hic navem septingenta stadia per diem totum<sup>2)</sup> cursu confidere dicit; cum autem umbram montis forum urbis Myrinae tetigisse constet, Lemnum ab Atho trecenta stadia, si modo Stephanus longitudinem umbrae recte indicat, distare censendum est<sup>3)</sup>: ergo quod Apollonius navem onerariam antemeridiano cursu ab Atho usque ad Lemnum pervenire posse contendit, recte videtur dicere. De Lemno insula quae ad geographiam pertinent non multa profert poeta: quod eam Sinteidem appellat, Homerum, ut supra exposuimus, imitatur. Urbs Myrina<sup>4)</sup> speciem summae vetustatis praebuisse videtur: fama enim erat eam e Myrina Thoantis regis uxore nomen accepisse<sup>5)</sup>, ita ut Apollonius eam Argonautarum temporibus iam fuisse iure fingere posset. Praeterea fertilitas insulae laudatur<sup>6)</sup>, qua praeter ceteras quae in mari Aegaeo sitae sint insulas florere dicitur<sup>7)</sup>, atque obiter cultus Vulcani celeberrimus et Homero iam notus<sup>8)</sup> commemoratur.<sup>9)</sup> Atque si has quas de Lemno narrat res perpaucas cum descriptione Coreyrae, de qua supra disserui, comparamus, statuere possumus morem illum, quem illuc invenimus et infra de Cyzico et Heraclea vel luculentius perspiciemus, fabulas Argonauticas ad vernacula loca, ut montes, fluvios, rivos, fontes, referendi aut in Lemno omnino non in usu fuisse aut hic quidem ab Apollonio neglectum esse. Neque tamen talium auctorum quales de Heracleae Cyzicique fabulis et primordiis scripserunt — de quibus infra tractabimus — libros de Lemno fuisse, ita ut Apol-

<sup>1)</sup> IV, 86.

<sup>2)</sup> Hoc enim modo res explicanda est, ut diserte docuit C. Reichardt, Landeskunde von Skythien. Hal. 1889, p. 121 sqq.

<sup>3)</sup> Plinius quidem, Nat. Hist. IV, 73 Ian, tradit Lemnum ab Atho LXXXVII m. p. abesse.

<sup>4)</sup> I, 604, 634. cfr. Ptolem. III, 13, 47; Steph. Byz. v. Λήμνος.

<sup>5)</sup> schol. Ap. Rh. I, 601: . . . ἐκλήθη δὲ (sc. Μύρινα) ἀπὸ Μύρης, τῆς Θόαντος γνωσκός, Κρηθέως δὲ θυγατρός.

<sup>6)</sup> I, 830 sq., 868; quod I, 608 eam χρανὴν appellat, ad litus actamque videtur spectare.

<sup>7)</sup> Cfr. Pauly Real-Encyklop. v. Lemnos.

<sup>8)</sup> 9, 283 sq.

<sup>9)</sup> I, 851, 859.

lonio ex iis mutuandi potestas esset, scholiasta usquam commemorat. — Samothracae, quam Electrae, filiae Atlantis, insulam Apollonius appellat<sup>1)</sup> ex eo quod eam ibi habitasse fama erat<sup>2)</sup>, Orpheo suadente Cabirorum sacris Argonautae initiati sunt: quae cum vetustissima haberentur, ille non dubitavit, quin etiam illa antiquissima aetate fuisse fingeret. — Inde heroes cum Thraciam ex hac, Imbrum insulam ex illa parte praeterveharentur, profecti sunt *Mέλανος διὰ βένθεα πόντου*<sup>3)</sup>: quod mare Scylax<sup>4)</sup> et Strabo<sup>5)</sup> geographi pro natura *Mέλανα κόλπον* vocant; est enim re vera sinus, Cardianus quoque ex urbe illa nominatus. Quaeritur iam, qua de causa Apollonius hunc sinum *πόντου* appellet; atque cum scholiasta<sup>6)</sup> Apollonii contendat ipsum hunc sinum etiam ab Homero intellegi, ubi de Iride narrat<sup>7)</sup>:

*Μεσσηγὸς δὲ Σάμου τε καὶ Ἰμβρον παιπαλοέσσης  
ἐνθορε Μείλανι πόντῳ . . .*

quocum bene consentiunt haec scholia Homeri ad illum locum exstantia: *τῷ καὶ ἔτι νῦν καλούμενῷ μέλανι κόλπῳ* et *νῦν δὲ Καρδιανὸς ὁ κόλπος ὀνομάζεται*, — quamquam in cod. Towl. additur<sup>8)</sup>: *τάχα δὲ τοῦτο ὄδατός ἐστιν ἐπίθετον ὡς „μέλαν δέ ἐ κύμα“*, quam explicationem interpretum recentiorum plures<sup>9)</sup>, quibus equidem assentior, probant — non abest suspicio Apollonium, cum illum locum aequa atque illi scholiastae interpretatus esset, vocem *πόντου* ex Homero sumpsisse<sup>10)</sup>: quod tamen confirmari non potest; nam quamquam vocabulum *πόντον* hoc loco ab illorum geographorum usu recedere atque ad Homeri versum spectare concedo, tamen illud ex ipsius Homeri loco fluxisse prorsus contendere nolim, propterea quod ab aliis quoque hoc mare interdum *Μέλας πόντος*, non *Μέλας κόλπος*

<sup>1)</sup> I, 916: *νῆσον ἐξ Ἡλέκτρης Ἀτλαντίδος.*

<sup>2)</sup> schol. Ap. Rh. I, 916. Cfr. Strab. p. 331 fr. 50. — Steph. Byz. v. *Σαμοθράκη*. — Diod. V, 48 sq.

<sup>3)</sup> I, 922 sqq.

<sup>4)</sup> c. 67.

<sup>5)</sup> p. 331 fr. 52 sqq. cfr. Plin. N. H. IV, § 48.

<sup>6)</sup> ad I, 922.

<sup>7)</sup> Λ, 78 sq.

<sup>8)</sup> Cfr. Ebeling, Lexicon Homericum v. *μέλας*.

<sup>9)</sup> Duentzer (Hom. Abhandl. 339), Franke, Goebel, Peppmueller, La Roche. Aliter censent Heyne, Faesi, Spitzner.

<sup>10)</sup> Id statuit Merkel, Proleg. ed. p. CXXVII.

videtur vocatum esse: de Eudoxo enim scholiasta Apollonii diserte tradit (I, 922): *Μέλας πόντος οὗτω λεγόμενος, ὃς ἴστορεῖ Εὔδοξος ἐν δὲ Γῆς περιόδον*: intellegendus autem est Rhodius ille historiarum scriptor, qui tertio a. C. n. saeculo fere medio eum librum de orbi terrarum confecit.<sup>1)</sup> — Chersonesum Thraciam prominentem circumvecti Argonautae Hellespontum<sup>2)</sup> intrant, cuius litora flatu secundi noti venti adiuti celeriter legunt: et moneo in enumeratione urbium ibi sitarum Apollonium id egisse, ut eas tantum commemoraret, quas Homerus cum recenseret antiquissimas esse demonstraverat: itaque mentio fit Dardaniae, Abydi, Percotae, Pityeae<sup>3)</sup>, cum in Rhoetei loco non ipsa urbs, sed litus tantum<sup>4)</sup>, neque Lampsacus ipsa, sed eius ora Abarnis<sup>5)</sup> nominetur, quia ille quoque haec oppida non commemorat: praeterea haec descriptio accurate et diligenter confecta est atque omnia iusto ordine enumerantur<sup>6)</sup>: Rhoeteas acta, Dardania, Abydus, Percote, Abarnis ora Lampsacene re-gionis, Pityea. Dardania enim ubi quandam fuerit, quamquam accuratius definiri nequit, tamen e Strabonis descriptione<sup>7)</sup> ab Abydo ad Ilium versus videtur sita fuisse; Pityea autem, si quidem ab ea urbe quam Strabo vocat Pityam non erat diversa, sita erat inter Parium et Priapum.<sup>8)</sup>

Uberius versatur poeta in describenda Cyzico insula: quam ad rem adhibuit libros praeclarissimorum et locupletissimorum auctorum, de quibus priusquam singula exponam, dicendum mihi est. Saepissime<sup>9)</sup> de hac carminis parte Deilochum Proconnesium in scholiis laudatum legimus: cuius de nomine dissensio

<sup>1)</sup> Cfr. H. Brandes, Ueber das Zeitalter des Astronomen Geminos und des Geographen Eudoxos: Jahrb. f. Phil. XIII. Suppl. 1847, p. 199 sqq.

<sup>2)</sup> I, 925 sqq: *κούρης Αθαμαντίδος ὁ ἔεθρα.*

<sup>3)</sup> v. supra p. 22. <sup>4)</sup> v. 929. <sup>5)</sup> v. 932.

<sup>6)</sup> v. Kiepert, Atlas v. Hellas t. t. V, XIV. — Lolling, Iw. Muellers Handb. III, p. 251. — Strab. p. 584 sqq.

<sup>7)</sup> p. 592.

<sup>8)</sup> p. 588. Steph. Byz. v. *Πιτύεια.*: quod schol. Ap. Rh. I, 933 et Steph. Byz. v. *Λάμψακος* Pityeam esse Lampsacum tradunt, errasse et similia confudisse videntur ex eo quod Lampsacum olim Pityusam nominatam esse fama erat. (cfr. Strab. 589, Steph. Byz. l. l.)

<sup>9)</sup> ad I, 139, 961, 966, 974, 987, 989, 1037, 1039, 1061, 1063, 1065.

est, cum sit dubium, utrum sit *Δηίοχος* an *Δηίλοχος*. Atque Muellerus<sup>1)</sup> rem, quam plane diiudicari atque absolvit omnino non posse dicit, in medio relinquit, quamquam se *Δηίοχος* scribi malle indicat: contra Keilius praetulit lectionem *Δηίλοχος*, quia duobus tantummodo locis<sup>2)</sup> codex Laurentianus alteram lectionem *Δηίοχος* praebet, reliquis omnibus *Δηίλοχος* exhibit. Evidem cum Keili rationes sequar eum semper, ut mihi constem, Deilochum vocabo, etsi concedo alteram nominis formam minime esse falsam. De aetate huius auctoris quam e Dionysio Halicarnassensi<sup>3)</sup> Muellerus protulit sententiam probo, cum plane perverse Schneidewinus<sup>4)</sup> duos quibus illud nomen esset scriptores fuisse contendat et inter se distinguat. Vixit autem, ut e Dionysio discimus, Deilochus ante bellum Peloponnesiacum et librum de Cyzico conscripsit, quo memoriam eius urbis inde ab antiquissimis temporibus repetivit: fusius, ut e scholiis Apollonii apparet<sup>5)</sup>, fabulas quae de rebus ab Argonautis Cyzici gestis ferebantur videtur tractasse. Atque cum uno loco<sup>6)</sup> Apollonium eo usum esse diserte scholia testentur, statuere possumus alia quoque ex eo fluxisse: contra uno tantum loco<sup>7)</sup> aperte ab eo dissensisse Apollonium monent. Deinde Neanthem, auctorem Cyzicenum, tribus locis scholiasta commemorat atque duobus locis<sup>8)</sup> cum Apollonio consentire, uno<sup>9)</sup> ab eo abhorrente tradit. Confecrat autem is librum, qui inscribebatur *Mνθικά*<sup>10)</sup>, atque, ut Muellerus ratiocinatus est, a. 280. a. C. n. fere adolescens erat, unde aetatem eius constitutas licet. Potuit igitur fieri, ut Apollonius librum eius inspiceret. Tum uno loco<sup>11)</sup> Polygnostus

<sup>1)</sup> Frag. hist. Gr. II, 17 in singulis fragmentis modo hac modo illa forma pro tradita codicum lectione utitur.

<sup>2)</sup> I, 139, 989 (p. 311, 20; 361, 31 Keil).

<sup>3)</sup> De Thucyd. iud. 5. cfr. Mueller l. l.

<sup>4)</sup> Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1843, p. 915.

<sup>5)</sup> Cfr. ad I, 1037, 1039.

<sup>6)</sup> ad I, 1037: ἡκολούθηκε δὲ Ἀπολλώνιος Δηίλόχῳ.

<sup>7)</sup> ad I, 966.

<sup>8)</sup> ad I, 1063 (p. 366, 11 Keil), 1065.

<sup>9)</sup> ad I, 1063 (p. 366, 14 K.).

<sup>10)</sup> ad I, 1063: Νεάνθης ἐν τοῖς *Mνθικοῖς*. — cfr. Mueller, l. l.

III, 2 sqq.

<sup>11)</sup> ad I, 996: Πολύγνωστος ἐν τοῖς περὶ *Κυζίκου*. cfr. Mueller l. l. II, 18 (in Deilochi fr.).

laudatur auctor libri, qui erat de Cyzico: de quo nihil constat, neque unde oriundus fuerit neque quibus temporibus vixerit. Denique Callisthenis cuiusdam mentio fit<sup>1)</sup>), qui ἐν τῷ πρώτῳ τοῦ Περίπλου, ut scholia adnotant, a Cyzicenis ultro Argonautis bellum illatum esse, aliter atque Apollonius, narraverat; quis fuerit hic Callisthenes dubium est: Geyerus<sup>2)</sup> et Muellerus<sup>3)</sup> eum, cum peripli, quod librorum genus posterioribus temporibus scribi coeptum est, auctor fuisse dicatur, ab Olynthio et Sybarita illis, quibus idem nomen erat, distinguunt atque Ptolemaeorum posteriorum temporibus floruisse censem: cui sententiae non habeo quod aliam opponam. Iam singula perscrutemur.<sup>4)</sup> Quae de situ insulae dicuntur, satis accurata sunt et cum aliorum descriptionibus bene congruunt. Est e Phrygiae ora in mare portrecta tantum, quantum isthmus ad continentem versus prominens mari adluitur. Hoc modo recte situs depingitur ab Apollonio (I, 936 sqq.). Atque recte Shawius<sup>5)</sup> ad hunc locum adnotat isthmum illum Argonautarum temporibus fuisse non iustum isthmum, sed ἴσθμοδη, quod ita intellegendum esse arbitror, quasi dicat illorum temporibus fretum maris, quo isthmus a continenti seiungebatur, nondum aggeribus pontibusque iunctum<sup>6)</sup> atque reclusum fuisse: quos ab Alexandro Magno exstructos esse Plinius<sup>7)</sup> tradit. Quae cum ita sint, recte Cyzicum Apollonius insulam appellat: nam e natura erat insula. Sequuntur verba (I, 939 sq.):

. . . . ἐν δέ οἱ ἀκταὶ<sup>8)</sup>  
ἀμφίδυμοι, κεῖνται δ' ὑπερ ὕδατος Αἰσήποιο . . . ;

in quibus vocabulum *οἱ* referendum est sine dubio ad totam insulam, non ad isthmum, *ἀκταὶ ἀμφίδυμοι*, litora quae ex utraque parte adiri possunt, videntur, ut scholiasta<sup>9)</sup> recte iudicat,

<sup>1)</sup> ad I, 1037.

<sup>2)</sup> Script. Alex. Magn. p. 191 sqq.

<sup>3)</sup> Script. Alex. Magn. p. 1, 7, 28 sq. (qui tamen, qua in re a Geyero dissentit, schol. ad II, 672, „Callistratum“ scribi vult; de hoc Callistrato v. Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 353 sqq.).

<sup>4)</sup> Cfr. I. Marquardt, Cyzicus und sein Gebiet. Berlin 1836.

<sup>5)</sup> edit. Apoll. Oxon. 1777.

<sup>6)</sup> Strab. p. 575; Seyl. 94.

<sup>7)</sup> Nat. Hist. V, § 142. Cfr. Marquardt, I. l. p. 9 sqq.

<sup>8)</sup> ad I, 936.

spectare ad duos illos portus, quibus Cyzicum urbem e loci natura praeditam fuisse a Strabone<sup>1)</sup> discimus; Aesepus vero non, ut scholiasta<sup>2)</sup> credit, Cyzici fluvius est, sed, ut est consentaneum, is qui ex adversa ora Phrygiae in mare influit<sup>3)</sup>: nam ab eius ore non multum abest Cyzicus insula. Tum quod nomen fuisse quondam insulae Ἀρκτων ὄρος I, 941 narrat, a ceteris autoribus valde abhorret poeta, cum illi Ἀρκτων νῆσον vel Ἀρκτόνησον<sup>4)</sup> eam nominatam esse prodant. Qua re commotus est Brunckius<sup>5)</sup>, ut ante hunc versum nonnulla excidisse statueret: quam sententiam equidem probo. E Strabone<sup>6)</sup> enim cognoscimus montem quendam insulae re vera Ἀρκτων ὄρος vocatum esse; iam putet quispiam poetam pro poetarum more eius nomine, ut totam insulam significaret, usum esse: sed ne hoc statuam commoveor eo quod et talis usus in tali re omnino satis mirus ac rarus est<sup>7)</sup> et quod ipse hic mons non tam amplus est, ut apte eius nomen ponи potuerit pro totius insulae: ab altero enim monte altitudine superatur.<sup>8)</sup> Accedit quod v. 942 verba τὸ μὲν montem ipsum significare e v. 947 verbis λοθυὸν δὲ αὐτὸν πεδίον τε luculentissime apparet: τὸ μὲν autem spectat ad ὄρος praecedentis versus: ergo hoc ὄρος usitata significatione praeditum, non metaphorice dictum esse sentio; aut statuere debebis v. 941 Ἀρκτων ὄρος metaphorice positum esse, ut insulae nomen esset, quo in usu sensum montis fere omissum esse intellego, v. 942 autem τὸ μὲν referri ad sollemnem significationem vocabuli ὄρος, quasi in illo versu id hoc sensu positum sit: id quod non esse statueramus. Censeo igitur versus aliquot ante v. 941 excidisse, quibus de monte et de campo universe dictum fuisse sentio. Sed num Gerhardius<sup>9)</sup>,

<sup>1)</sup> l. l.

<sup>2)</sup> ad I, 940.

<sup>3)</sup> Strab. 565, 575. Hom. B, 825.

<sup>4)</sup> Plin. l. l. — Steph. Byz. v. Ἀρκτων νῆσος.

<sup>5)</sup> in edit. adnot. ad h. l.

<sup>6)</sup> l. l. — cfr. Apoll. Rh. I, 1150 (*οὐραῖσιν Ἀρκτων*). Orph. Argon. v. 517.

<sup>7)</sup> Cfr. id, quod nos dicimus: „Spitzbergen“.

<sup>8)</sup> Strab. l. l.

<sup>9)</sup> Lectiones Apollonianae. Lips. 1816, p. 30 sqq.

cui similia atque mihi obversata esse videntur, recte emenda-  
verit dubito: is enim v. 941

*Ἄρχτων μιν καλέονσιν ὅρος περιναιετάοντες*  
plane eiecit atque inseruit novum

*οὐρος μὲν τ' ἐν τῇ, πεδίον δ' ἐν τῇ παρακεῖται;*  
haec in priore carminis recensione scripta fuisse, in posteriore vero

*Ἄρχτων μὲν καλέονσιν ὅρος περιναιετάοντες*  
*Γηγενέες, μέγα θαῦμα περικτιόνεσσιν ἰδέσθαι*  
opinatur, ita ut eum versum qui nunc est 942:

*καὶ τὸ μὲν ὑβρισταὶ τε καὶ ἄγροι αἰὲν ἔχονσιν*  
soli priori editioni tribuat. Sed eam omnino quam ille de duplicitis  
recensionis vestigiis protulit sententiam, quoniam Lindius<sup>1)</sup> iustum  
ad modum de hac re disseruit, falsam esse manifestum est. Atque  
hoc ipso loco illa, quamquam diligenter excogitatata sunt, non  
probo atque id tandemmodo concedo talia fere, quae novo illo versu  
coniecit, pro rerum conexu inter v. 940 et v. 941 inserenda esse.  
Haec fere sunt quae ad situm nomenque insulae pertinent. Loca  
quorum Apollonius mentionem facit omnia ad fabulas quae de  
originibus primordiisque Cyzici ferebantur spectant. Et primum  
quidem commemorantur fontes tres, quibus sunt nomina *Ἄρταχίν*  
(I, 957), *Κλείτη* (v. 1069), *Ιησούη* (v. 1148). In Artacia, qui  
fons ex Artace, urbe insulae, sine dubio nomen tulit<sup>2)</sup>, Argonau-  
tae lapidem, quo usi erant pro ancora, quod non satis gravis  
erat, reliquise dieuntur: unde eum Iones, qui coloni Cyzieum  
condiderunt, removisse atque in templo Minervae Iasoniae con-  
secrasse. Re vera igitur, ut ex hac narratione (I, 955 sqq.)  
suspiciari possumus, in illo templo Cyzici talis lapis ancorarius  
videtur asservatus et monstratus esse.<sup>3)</sup> Alter fons e Clita,  
Cyzici regis uxore, quae de nece mariti gravissimo dolore affecta

<sup>1)</sup> De diversis recensionibus Apollonii Rhodii Argonauticorum. Gotting. 1885, p. 8, 31 sqq.

<sup>2)</sup> Marquardt, p. 43. De versu Odyss. x, 108 cf. Bergk. Gr. Literaturgesch. I, p. 684.

<sup>3)</sup> Sicut Plinius rem confirmat: N. H. XXXVI, 23: „Eodem in oppido (Cyzici) est lapis fugitus appellatus; Argonautae eo pro ancora usi reliquerant ibi etc.—cfr. de his „Iasonis ancoris“ Mueller, Geogr. min. II, 70.

mortem sibi concivit, nominatus est: e lacrimis enim, quas nymphae illam deflentes profuderant, ut fabula erat, exortus erat. Iasonius fons e caecumine Dindymi montis sterilissimo profluebat atque a Rhea dea, cuius fanum in illo monte erat, ut Argonautis prodigium signumque numinis sui potentissimi ostenderet, creatus esse credebatur. Ea quoque fabula quae de simulacro ligneo Rheae in illo delubro consecrato erat ad Argonautas spectat: ab iis enim illud ὁγανον̄ vetustissimum e rudi vitis trunko dolatum deaeque dedicatum esse ferebatur (v. 1117 sqq.)<sup>1)</sup>. Alter mons, quem Gegenes, Gigantum genus, habitasse poeta narrat, vocabatur Ἀρχτον̄ ὄρος, Ursorum mons; cuius sub radicibus sita erat urbs Cyzicus. Portus nominantur tres; unus est, qui appellatur καλός (v. 954): prope quem cum fons ille Artacius fuisse dicatur, nescio an sit portus Artaceae oppidi. Alter est λιμήν Θρηίκιος (v. 1110), unde ad Dindymum montem Argonautae descendunt: nomen fortasse accepit eo quod contra oram Thraciam erat<sup>2)</sup>, atque, ut Marquardtius<sup>3)</sup> iudicat, videtur esse is qui nunc vocatur Rodia sive Ravo. Urbis Dolionum portus, in quem Argonautae Cyzico rege rogante navem subduxerunt, idem est atque Χυτὸς λιμῆν<sup>4)</sup> (v. 987), quem, cum illi rursus prefecturi essent, Gegenes obturare conati sunt; duos autem portus habuit Cyzicus urbs: et Chytum quidem eum fuisse qui ad occidentem spectabat Marquardtius censet. Sed cum locus ille qui est de Chyto portu (v. 985 sqq.) nonnullas difficultates praebeat, paululum in eo explicando versabor. Dicit enim poeta, postquam Argonautis de itinere quaerentibus Cyzicum regem accuratius referre non potuisse narravit:

Ἡοῖ δὲ εἰσανέβαν μέγα Δίνδυμον, ὅφρα καὶ αὐτοὶ θηγάσαι το πόρους κείνης ἀλός· ἐξ δὲ ἄρα τοίγε νῆα Χυτοῦ λιμένος προτέρου ἐξήλασαν ὄρμον· ἥδε δὲ Ἰησονίη πέραται ὁδός, ἥνπερ ἔβησαν.

Quos versus hoc modo explicem: pars heroum, ad quam spectat illud ὄλλοι (v. 998), ut vias circumspiceret, Dindymum montem ascendit, pars, quae significatur vocabulo τοίγε (v. 986), navi e

<sup>1)</sup> Cfr. Strab. p. 575.

<sup>2)</sup> Aliam explicationem scholiasta Ap. Rh. I, 1110 praebet.

<sup>3)</sup> p. 17. — cfr. Caylus, Recueil d' antiquités vol. II.

<sup>4)</sup> Cfr. Marquardt p. 13, 44 sq.

portu Chyto evectura erat: tum, cum Gegenes impetu facto ostium portus obstruere conarentur, illi, priusquam cacumen montis ascenderent, redierunt — cogitari licet eos pugnantium stridore revocatos esse — atque amicis auxilium tulerunt (v. 989 sqq.); Gigantibus superatis ancoras solverunt (v. 1013) et ab insula profecti sunt. Iam primum quaero, quibus de causis, cum illi in montem escendant, hi e Chyto portu evehi voluerint: nempe aut hoc revertendum aut ad alium insulae portum appellendum iis fuerit, ut illos in navem receperint. Atque multo magis offendio in vocabulis *προτέρον ὄμον*, quae ad verba *Xυτοῦ λιμένος* in vicem appositionis adiuneta sunt; nam quomodo hic portus *πρότερος ὄμος* appellari potuerit, non intellego neque e Shawii explicatione *προτέρον* ad illud *προτέρωσε* (v. 964) referentis disco; neque probo Merkeli rationem, qui in editione maiore<sup>1)</sup> scripsit:

... ἐκ δ' ἄρα τούτη

*νῆα Χυτὸν λιμένα προτέρον ἐξήλασσαν ὄμον:*

pugnat enim haec conjectura cum sententia sequentium versuum, ubi (v. 990 sq.) Gegenes dicuntur lapidibus ostium Chyti portus obcludere studuisse, quasi bestiae intus versanti insidias struerent: qua e comparatione colligo etiam navem, quae cum bestia comparatur, intra portum fuisse. Evidem existimo *πρότερον ὄμον*, si *πρότερον* ad temporis rationem significandam valere statuimus, nihil esse nisi illum portum, ad quem primum appulsi sunt heroes et qui *καλός* appellatur (v. 954): ad hanc significationem spectant ea quae scholiasta adnotat (ad I, 987): *προτέρον καθ' ὅν τὸ πρότερον ἡσαν ὄμισθέντες*; ex illo autem portu tum rogatu Cyzici propius ad urbis portum (v. 965) accedunt, i. e., ut ergo credo, Chytum portum intrant. Etiam si e loci rationibus *πρότερον* intellegimus, *καλὸν* portum hoc vocabulo significari putamus: nam hic latius Chyto abest ab urbe, ut e v. 964 sq. apparet; ex urbis situ autem ratiocinandum est, neque Shawio assentior *προτέρον* ad eos qui urbi appropinquant referenti. Quae cum ita sint, quaero quo iure verba *προτέρον ὄμον* ad Chytum portum referri possint: nisi forte

<sup>1)</sup> Cfr. adnot. crit. ad h. l.; in minore editione traditam lectionem retinuit.

Shawii interpretationem probas: aut igitur corruptela in v. 987 latet aut poeta ipse accuratam notitiam locorum situsque non habuit ita ut regiones confunderet: omnino enim, ut supra demonstravi, haec tota narratio, quae est de Gigantibus, satis mira est: atque id quoque monendum esse censeo, heroes secundum Apollonium consilium montis Dindymi ascendendi, tum cum hostes devicissent, iam plane abiecisse: neque enim conatum redintegrant, sed illis superatis statim ex insula degrediuntur: tum demum cum iterum vento adverso ad insulam repulsi essent ad montem eccenderunt, minus tamen ut vias exquirerent, sed ut e Mopsi vaticinio Rheam placarent. Iam quae sit Iasonia illa via (v. 988), investigemus; de qua cum alii scriptores omnino nihil prodant, e solo Apollonio quaerendum nobis est. Atque e conexu versuum quidem referat quispiam haec verba ad portum Chytum, atque cogitet fortasse hanc fuisse viam quandam lapidibus distinctam notatamque atque ideo exstructam, ut nautae intrantes vada vitarent: attamen si verbum ἔβησαν et sensum totius versus respicio, nescio an potius ad montem haec via pertineat; fuit enim, ut videtur, via illo nomine appellata, qua e portu et urbe ad montem perveniri poterat; alteram quoque fuisse e v. 1110 cognoscimus, ubi e portu Thracio Argonautae ad verticem montis illius profecti esse narrantur. Prope portum Chytum sacrum Apollinis fuisse e schol. ad I, 966 suspicor; Apollonius enim tradit heroes Apollini Ecbasio aram posuisse sacraque fecisse: ad quae adnotat scholiasta: ἐνθ' οἵγ' Ἐβασίῳ · ἀπὸ τῆς ἐβάσεως τῆς νεώς ἐπὶ τὴν Δολιονίαν. Δηλοχος δὲ τὸ ιερὸν οὐκ Ἐβασίον Ἀπόλλωνός φησιν εἶναι, ἀλλ' Ἰασονίον Ἀπόλλωνος, Σωκράτης δὲ ἐν Ἐπικλήσει Κυζικηνοῦ Ἀπόλλωνος; dissentit igitur in hac re Apollonius a Dei-locho. De Hiera petra, quae vocabatur, similis erat fabula atque de lapide illo in Artacia relicto. Erat hoc saxum, quod fortasse magnitudine vel mira forma insigne erat, in litore positum; ad quod Argonautae, cum noctu ad insulam repulsi essent, funes ancorarios alligasse ferebantur (v. 1019 sq.<sup>1)</sup>). Etiam tumulus Cyzici regis in campo Limonio<sup>2)</sup> exstructus (v. 1060 sqq.) poetae

<sup>1)</sup> Cfr. v. 1109: λυσάμενοι Ιερῆς ἐκ πείσματα πέτρης.

<sup>2)</sup> E scholio apparet Λειμώνιον πεδίον nomen proprium esse.

aetate, ut ipse dicit, exstabat atque monstrabatur. Similia supra in Corcyrae descriptione de antro Medeae nos legisse moneo. Unde vero haec desumpserit Apollonius, accurate dici nequit: scholiasta enim nihil adnotat nisi Deilochum quoque Limonii campi et Cyzici sepulcri mentionem fecisse.<sup>1)</sup> Cyzicum autem, heroem illum eponymum, nobili cultu Cyziceni venerabantur<sup>2)</sup>, qua de re poeta morem satis memorabilem enarrat (v. 1071—77): cum enim anniversariis libaminibus illi manes eius expiabant, non panes coctos, sed e farina pultes edebant, quo more se memoriam eius mortis conservare dicebant: nam tum quoque proavos illos tanto maerore affectos esse, ut diutius frumentum molere obliscerentur atque cibis igne non tostis viverent. Praeter illum alii duodecim heroes, quos in pugna contra Argonautas commissa occisos esse fabula erat, a Cyzicenis colebantur (v. 1047 sq.). Sunt Telecles Megabrontes, Sphodris, Zelys, Gephyrus, Basileus, Promeus, Hyacinthus, Megalossaces, Phlogius, Itymoneus, Artaceus. Quae nomina<sup>3)</sup> utrum ex auctore quodam locupleti, ut Deilocho vel Neanthe, hauserit Apollonius an ipse finixerit, quaestio est; scholiasta quidem ad v. 1039 adnotat: μνημονεύει Δηίλοχος τῶν ἀναιρεθέντων, ὡς φησὶ Σοφοκλῆς; tum ad v. 1040: Τηλεκλῆα ἡδὲ Μεγαβρόντην πέπλακε τὰ ὄνόματα ταῦτα Ἀπολλάνιος, οὐκ ἀπὸ ιστορίας ἔλαβεν οὕτω Ταρραῖος. Quae scholia quamquam inter se non pugnant, tamen satis mira et obscura sunt. Illud enim quid sibi per se ipsum velit, non intellego: nam utrum Deilochus occisos illos enumeraverit necne, ad hanc rem vix spectat minimique momenti est. Multo magis interest scire, num ille eadem atque Apollonius nomina commemoraverit. At de hac re videtur alterum scholium tradere Apollonium finxisse nomina. Sed dubium est, utrum illud τὰ ὄνόματα ταῦτα ad illa tantum nomina duo Τηλεκλῆα ἡδὲ Μεγαβρόντην spectet an ad omnia nomina. Praeterea respicienda sunt verba οὕτω Ταρραῖος, quae nescio an respondeant illis antecedentis scholii ὡς φησὶ Σοφοκλῆς.

<sup>1)</sup> Τοῦ δὲ Λειμονίου πεδίου μέμνηται Δηίλοχος, περὶ τε τοῦ τάφου Κυζίκου ὁ αὐτός.

<sup>2)</sup> Marquardt p. 135. efr. Schneider, Callimach. II, p. 70 sqq.

<sup>3)</sup> Cfr. Valer. Fl. III, 111 sqq., qui praeter Zelyn (v. 152) alia exhibet.

Alioqui enim non ita saepe laudantur illi, quorum e commentariis nostra scholia fluxerunt: atque aliqua dissensio de his rebus inter eos fuisse videtur: plura enim non dicam, cum res sit satis ambigua. Nomina ipsa ad insulae res locaque non spectant, praeter unum Artaceum ex Artace urbe fictum<sup>1)</sup>; Zelyn fortasse quis ob vocum similitudinem referat ad Zeleam<sup>2)</sup>, urbem Cyzico vicinam, Itymoneus autem iam apud Homerum<sup>3)</sup> nobis occurrit. Incolas insulae Argonautarum temporibus fuisse Doliones et Gegenes poeta tradit: illos isthmum et campum possedisse, hos Ursorum montem habitasse.<sup>4)</sup> Atque quod Cyzicus rex Aenei, qui e Thessalia emigravit<sup>5)</sup>, filius esse dicitur (v. 948), ad Pelasgorum coloniam vetustissimam olim e Thessalia Cyzieum deductam<sup>6)</sup> spectat. Posterioribus temporibus Milesiorum<sup>7)</sup> colonia Cyzicus erat: id quod Apollonius v. 959 et 1076 occasione data commemorat. — Quoniam de Cyzico ipsa dixi, iam pauca de vicinis regionibus adiungam, quas Argonautae e Dindymo monte conspexisse narrantur: apparebant *Μακριάδες σκοπιαὶ* una cum tota Thracia (v. 1112) ex ulteriore parte. Ubi sitae erant hae Macriades speculae? Hoc enucleare frustra studui; nusquam enim commemorantur: ex argumento vero huius loci, qui est:

*Τοῖσι δὲ Μακριάδες σκοπιαὶ καὶ πᾶσα περαίη  
Θρηικής ἐνι χερσὶν ἑατές προνφαίνετ' ιδέσθαι,*

eas in Thracia ora fuisse coniicio. Atque fortasse hoc pertinent etiam Macries (v. 1024) illi, quos esse Argonautas noctu reversos Cyziceni falso opinati sunt. Nam quod scholiasta, ut videtur nominum similitudine deceptus, eos cum Euboeae, quae olim Macris appellabatur, incolis aut Macronibus, Pontica gente, confundit, sine dubio errat; Macrones enim et Euboea aliquantum a Cyzico absunt: ex ipsa narratione Apollonii autem intellegendum est sedes illorum Macrium non ita multum ab insula abfuisse, propterea quod, ubi primum Argonautae reverterunt, Cyziceni opinati esse dicuntur illos ipsos impetum facere: for-

<sup>1)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. I, 1047.

<sup>2)</sup> Strab. p. 583: *καὶ δὴ καὶ ἔστι νῦν ἡ Ζέλεια τῶν Κυζικηνῶν.*

<sup>3)</sup> A, 672. <sup>4)</sup> I, 941—948.

<sup>5)</sup> schol. ad h. l. <sup>6)</sup> Marquardt, p. 40 sq.

<sup>7)</sup> id. p. 50.

tasse, ut quidem cogitari licet, tale quid saepius acciderat; sed eiusmodi subitae et nocturnae incursiones non nisi inter vicinos fiunt. Et vero praeter ceteras illas explicaciones monet scholiasta: *ἥσαν δὲ ἀστυγείτονες τῶν Δολιόγονων οἱ Μάχρωνες*, et infra: *Μαχριέων ὄμοροι Δολιόσιν οὗτοι καὶ πολέμοι*, quae confirmare videtur Zonaras qui dicitur, cum in lexico (p. 1311 Tittmann) refert: *Μάχρις, πόλις ἐγγὺς Κυζίκου*; attamen accuratius, qui fuerint illi, exquirere non possumus. Praeter Macciades speculas conspiciuntur e monte Dindymo (v. 1114) nebulosum Bospori ostium et Mysii colles, atque ex altera parte Aesepus fluvius et Adrasteae urbs campusque<sup>1)</sup> Nepeus e Nepea, uxore Olympi Mysorum regis, ut scholia (ad v. 1116) docent, vocatus; est autem in Phrygia ora ad Propontidem situs, in quam fluvius ille influit; urbem *Ἄδραστειαν* iam Homerus<sup>2)</sup> nominat, sed de campo nihil dicit: Aesepus rursus illi<sup>3)</sup> notus est.

Ex insula Cyzico cum Mysiam<sup>4)</sup> peterent (I, 1164) heroes, os Rhyndaci fluminis et sepulerum Aegaeonis praetervecti sunt<sup>5)</sup> (I, 1165). Atque de fluvio, ut scholiasta adnotat, uberior Callimachus *ἐν τῷ περὶ τῶν κατὰ τὴν Ασίαν ποταμῶν* verba fecerat; de Aegaeone vero duas explicaciones apud eum invenimus, unde, cum ex Apollonii verbis *res* diiudicari non possit, utram praeferas eligas licet: est enim intellegendus aut Aegaeon, cui Briareus cognomen est, Centimanorum unus, quem ibi a Neptuno devictum atque in mare proiectum esse Conon *ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ*, auctor satis ignotus<sup>6)</sup>, tradiderat, aut Aegaeon, Mysorum heros, prope Rhyndacum sepultus. Fuisse igitur videtur

<sup>1)</sup> Marquardt, p. 20, 103 sqq. — Strab. p. 588.

<sup>2)</sup> B, 828. cfr. supra p. 22.

<sup>3)</sup> B, 825; A, 91; M, 21.

<sup>4)</sup> Strab. p. 564.

<sup>5)</sup> Cfr. Marquardt, p. 6.

<sup>6)</sup> Cfr. C. Mueller, Fragm. hist. Gr. IV, 368 sq. — Keilius (v. adnot. crit. edit. p. 373) scribi mavult *Kivatθων* e schol. Ap. Rh. I, 1357, de quo infra dicturus sum. — Praeterea commemoratur schol. I, 1165 Demetrius Cnidius, auctor plane ignotus, cfr. Mueller l. l. qui *Σενηψίου* pro tradita lectione *Kriθλον* proponit; G. Vossius, De hist. Gr. p. 426 ed. Westermann; Gaede, Demetrii Seepsii quae supersunt. Greifswald 1880. p. 57 adn. 93.

hoe ἡρῶν Αἰγαίωνος aut insula vel potius rupes quaedam ostio fluminis illius obtenta aut tumulus ad ripam exstructus.<sup>1)</sup>

Ad regionem Cianidem, ad quam Argonautae iam appulsi esse narrantur (I, 1177), pertinent fabulae quae de Hylae raptu ferebantur. Cius urbs, Milesiorum colonia<sup>2)</sup>, sita erat ad fluvium eodem atque ipsa nomine appellatum, sub monte Arganthonio<sup>3)</sup>: atque in hoc tractu (v. 1178) rem illam factam esse Apollonius prodit; fabulam ipsam unde excipserit non liquet, sed ex iis rebus, quae ad hanc quam tractamus quaestionem spectant, nonnulla de auctore coniicere possumus. Sunt autem tres res, quas commemorandas nobis esse censeo: una est, quod fons ille, in quem Hylas demersus esse putabatur, ab accolis vocabatur Pegae (I, 1221 sq.); id quod Propertius confirmat, cum dicit<sup>4)</sup>:

„Hic erat Arganthi Pegae sub vertice montis

Grata domus Nymphis umida Thyniasin.“

Deinde I, 1354, ubi sunt verba:

*Toύνεκεν εἰσέτι νῦν περ Ὑλαν ἐρέονσι Κιαροῖ,  
κοῦρον Θειοδάμαντος,*

poeta sine dubio morem memorabilem Cianorum respicit, quem Strabo<sup>5)</sup> accuratius nobis exponit: die festo enim illi per silvas vagari atque Hylam, quasi eum quaererent, vocare solebant. Denique v. 1355 sq. Apollonius narrat inter Cianos et Trachinios fuisse amicitiam necessitatemque, quod fabula esset obsides illorum Herculi datos Trachina missos ibique collocatos esse. Atque has duas res etiam a Cinaethone ἐν Ἡρακλείᾳ traditas esse scholiasta<sup>6)</sup> monet; intellegendum autem est sine dubio poeta ille epicus<sup>7)</sup> neque video cur hoc carmen, quamquam hoc uno loco commemoratur, Cinaethoni abiudicandum atque, ut Bernhardyus<sup>8)</sup> fecit, Cononi, auctori satis incerto, tribuendum sit. Fortasse igitur illi has notitias Apollonius debuit. Unde vero fabulam, quam de

<sup>1)</sup> Cfr. Marquardt, p. 6: Eustath. ad II. p. 123, 35.

<sup>2)</sup> Plin. V, § 144.

<sup>3)</sup> Strab. p. 563 sq.: Ἀργανθώνιον, Apollonius I, 1178: Ἀργανθώνιον, cfr. Steph. Byz. v. Ἀργανθών; Propert. I, 20, 33: Arganthus.

<sup>4)</sup> I, 20, 33 sq.                                 <sup>5)</sup> p. 564.   <sup>6)</sup> ad I, 1357.

<sup>7)</sup> Cfr. Kinkel, Epicor. Graec. fr. p. 196, 212.

<sup>8)</sup> Griech. Lit.-Gesch. I, p. 308. — cfr. schol. I, 1165: Κόρων ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ.

Polyphemo Argonauta, Cii urbis conditore, narrat (I, 1345 sqq., IV, 1470), exhauserit, variae sunt mihi suspiciones. Etenim e schol. Ap. Rh. I, 1177 cognoscimus, Aristotelem ἐν Κιανῶν πολιτείᾳ etiam de originibus atque primordiis huius urbis tractasse, et e schol. Ap. Rh. IV, 1470<sup>1)</sup> discimus de Polyphemo cum Apollonio consensisse Nymphorum, de quo infra uberior dicam, et — si codicis lectionem respicimus — Charin: quod nomen cum corruptum esse videretur correxit Heringa in Χέραξ, Spitzner in Χάρων.<sup>2)</sup> Atque vero scimus Characem Pergamenum librum, qui inscriptus erat Χρονικά, sicut scholio de „Charite“ illo traditur, conscripsisse:<sup>3)</sup> sed multo post Apollonium vixit; contra a Charone librum confectum esse, qui inscriberetur Χρονικά<sup>4)</sup>, nusquam legimus.

Posidium promunturium, quod I, 1279 Argo navis praetervecta esse narratur, praeter Apollonium a Ptolemaeo<sup>5)</sup> solo commemoratur, qui id Ποσείδιον ἄχρον nominat: est illud, quod Scylax obiter vocat ἀχρωτήριον τοῦ Κιανοῦ κόλπου.<sup>6)</sup>

Iam venimus ad Amyci, Bebrycum regis, sedem, quam Apollonius satis obscure describit: Argonautas, postquam diem noctemque de Cio fluvio degressi navigassent, actam late prominentem e sinu conspexisse atque ad eam sole oriente appulsos esse: ibi fuisse Amyci domicilium (I, 1360 sqq., et II, 1). Quae verba sunt satis ambigua atque dubitet quispiam, num Apollonius omnino de certo loco cogitaverit. Iam contemplemus ea quae ex aliis auctoribus de his rebus cognoscimus. Bebryces credebantur olim Bithyniam incoluisse<sup>7)</sup>, sed postea plane inter-

<sup>1)</sup> Πολύφημος ἐν Μυσίᾳ καταλειφθεὶς ἔκτισε πόλιν Κίον τὴν οὖτως ὄνομασθεῖσαν ἀπὸ τοῦ παραρρέοντος ποταμοῦ (aliter Aristoteles ap. schol. Ap. Rh. I, 1177). Μαζόμενος πρὸς Χάλυβας οἵτος ἐτελεύτησεν, ὡς φησι Νυμφόδωρος. Ότι δὲ τὴν Κίον ἔκτισεν, εἰδηζεν αὐτό Χάραξ ἐν πρώτῳ Χρονικῶν.

<sup>2)</sup> Cfr. Keili adnot. crit edit. p. 525; Keilius recepit Χάραξ; Χάρις nomen virile non est.

<sup>3)</sup> Cfr. Mueller, Fragm. hist. III, 636 sqq.

<sup>4)</sup> Cfr. Suid. v. Χάρων; verba „ἔστι δὲ χρονικά“ ad argumentum, non ad titulum spectant.

<sup>5)</sup> V, 1, 4. cfr. Kiepert, Atl. ant. t. V.

<sup>6)</sup> § 93. cfr. Muelleri adnot. ad h. l.

<sup>7)</sup> Strab. p. 541, 586. — schol. Ap. Rh. II, 2: ad hanc rem spectat etiam Βιθυνίς Μελίη, Amyci mater.

isse, ita ut temporibus historiae fide confirmatis ne vestigium quidem eorum superesset.<sup>1)</sup> Ubi autem Amyci villam regiam fuisse fingebant antiqui? Ad hanc rem spectat scholiastae (ad II, 159) narratiuncula: fuisse re vera in eo loco, ubi Argonautae Amyco castigato lauro se devinxisse dicuntur (II, 159 sqq.), laurum ingentem, ut Androetas Tenedius proderet: eundem autem addidisse locum ipsum ex illo rege nominatum esse Amicum atque a Chalcedonio nymphaeo quinque stadia distare<sup>2)</sup>; similia autem prodidisse videtur Apollodorus ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ποντικῶν, ut apud eundem legimus. Atque etiam Plinius<sup>3)</sup> illam narrationem confirmat, cum portum Amyci ad Bosporum situm commemorat et de lauro illa ex Amyci tumulo orta satis mira enarrat; Arrianus<sup>4)</sup> et Stephanus Byzantius<sup>5)</sup> rursus in eadem fere regione recensent portum, cui nomen erat Δάφνη μαινομένη, sine dubio ad eam quam tractamus rem pertinentem. Apollonius vero nihil de his rebus dicit atque, cum paeter I, 1361<sup>6)</sup> et II, 168, quibus e locis tamen ad rem illustrandam non multum proficimus, de regione ac situ omnino nihil exponat, eius animo illa ipsa loca, de quibus scholiasta et Plinius verba faciunt, obversata esse, quamquam verisimile est tamen contendi non potest.

Etiam Phinei domicilium ubi fuisse sibi finxerit Apollonius

<sup>1)</sup> Strab. p. 678. — Eratosth. ap. Plin. N. H. V, § 127. — schol. Ap. Rh. II, 2. — Charon Lampsacenam quoque regionem quondam a Bebrycibus habitatam esse tradiderat (cfr. schol. Ap. Rh. II, 2).

<sup>2)</sup> Οὐ ποιητικῶς δὲ ἀνέπλασε τὴν δάφνην ὁ Ἀπολλόνιος, ἀλλ' εστιν ὄντως ἐν τῷ τόπῳ δένδρον δάφνης εὐμέγεθες, ὡς φησιν Ἀνδροίτας ὁ Τενέδιος ἐν τῷ Περίπλῳ τῆς Προποντίδος, παριστορῶν δὲ τοῦ Ἄμυκος μὲν καλεῖται τὸ χωρίον, ἔχει δὲ ἐποίκια καὶ νῦν, διέστηκε δὲ τοῦ Χαλκηδονίου νυμφαίον σταδίους πέντε. Ἀπολλόδωρος δὲ ἐν πρώτῳ τῶν Ποντικῶν ἡρῷον αὐτόθι φησὶν εἶναι Ἄμύκον, καὶ εἰ τις ἔχει τῆς δάφνης κλάδον λάβοι, εἰς λοιδορίαν ἀνίστησι. — De his auctoribus plane ignotis cfr. Mueller, IV, p. 304; minime probo quae Heynius, Apollodori fragm. p. 459 protulit, pro Apollodoro esse scribendum Apollonium. — cfr. Sboronos, Ἐφημ. ἀρχαιολ. III, p. 89 sqq.

<sup>3)</sup> N. H. V, § 150; XVI, c. 44. (Ptolemaei Chenni nugas non euro.)

<sup>4)</sup> Peripl. 37 (ex eo desumpsit anonym. peripl. auctor).

<sup>5)</sup> v. Δάφνη.

<sup>6)</sup> Cfr. „ἐν κόλπῳ“ et „ἀνα Βόσπορον“: Kiepert, Atl. v. Hellas t. XVII (Nebenkarte). — Mueller ad Dionys. Byz. anap. Bosp.: Geogr. min. II, 82.

obiter tantum indicat: prodit enim heroes ad oram adversam Bithyniae appulsos (II, 177) Phineum ab Harpyis acriter vexatum invenisse; regionem ipsam nominat Thynidem (II, 462) et a Thynis (II, 561) habitatam esse prodit: e Thynis, Thracia gente, eam Thraciae orae partem, ubi sitae erant urbes Apollonia et Salmydessus, Θυνία ἀκτὴν appellatam esse Strabo<sup>1)</sup> narrat. Atque in hoc tractu Phineus habitasse dicebatur eratque urbs ad Bosporum sita Phinopolis ex eo nominata.<sup>2)</sup> Et spectat sine dubio Apollonius ad hanc regionem: nam non multo postquam Argonautae a Phineo degressi sunt, iam ostio Bospori, ubi sunt Cyaneae insulae, appropinquant, ut ipse narrat (II, 317 sq., 551).<sup>3)</sup> Restat ut quaeramus, quam ad rem spectent ea quae de ara duodecim deis ab Argonautis consecrata<sup>4)</sup> Apollonius prodit (II, 533 sq.):

Ἐκ δὲ τόθεν μακάρεσσι δνώδεκα δωμήσαντες  
βωμὸν ἄλος δηγμῖνι πέρην καὶ ἐφ' ἵερὰ θέντες,  
νῆα θοὴν εἰσθαυνον ἐρεσσέμεν,

ad quae scholiasta haec adnotat: Ἐν δὲ τῷ πέραν, φησίν, αἴγιαλῷ τῆς Ἀσίας διαπλεύσαντες ἐπ' αὐτὸν βωμὸν τοις δώδεκα θεοῖς ἐδομήσαντο. Φανερὸν οὖν ὅτι ἐν τῇ Εὐρώπῃ Καὶ γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἵερόν ἐστιν οὗτον καλούμενον ἐν τῷ πέραν τῆς Εὐρώπης τῆς Ἀσιάδος.<sup>5)</sup> Haec sunt valde obscura, cum primum dicat ille aram fuisse in ora Asiatica, tum pergit φανερὸν οὖν ὅτι ἐν τῇ Εὐρώπῃ, quae verba nescio quo pertineant: sed tamen e scholio appareat, illum interpretem veterem Apollonii versus ad veram aram ibi sitam referre. Erat autem prope Bospori ostium quod in Pontum effluit in ara Asiatica fanum Iovis Urii nobilissimum, ubi nimirum nautae, priusquam Pontum, quod est mare prae ceteris maribus Graecis satis periculose, intrarent, a Iove, cui ob ipsam hanc rem nomen Οὔρος

<sup>1)</sup> p. 541.

<sup>2)</sup> Cfr. Dionys. Byz. anapl. Bosp.: Muell. Geograph. min. II, 61 sqq. — Strab. p. 319. — Mel. II, § 23. — schol. Ap. Rh. II, 177.

<sup>3)</sup> Cfr. Michaelis, De Apollonii Rhodii fragmentis. Diss. Halle 1875, p. 10 sqq.

<sup>4)</sup> Cfr. Mueller ad Dionys. Byz.: Geogr. II, 75 adnot.

<sup>5)</sup> Cfr. schol. ad Demosth. p. 468, 10. — Polyb. IV, 39, 6. — Diod. IV, 49. (Polybius et Diodorus Argonautas redeuntes sacra fecisse narrant). — Pind. Pyth. IV, 364.

erat, ut secundum ventum mitteret beneque adesset navigantibus, petere solebant. Iam si Apollonii versus II, 500—529 respicimus, ubi uberius de etesiis atque de cultu Iovis Iemaei in insula Ceo celebrato agit — diutius enim Argonautae illorum flatibus ab itinere retenti sunt — hanc narrationem bene quadrare ad fanum Iovis Urii videmus.<sup>1)</sup> Neque vero solum Iovi, sed omnibus duodecim deis heroes sacra faciunt. Contra verba ἀλὸς δηγμῖνι πέρην, quae de ulteriore litore i. e. Asiatico dicta esse intellego<sup>2)</sup>, probe spectant ad illud Ιερόν, quod in Asiatica ora fuisse scimus. Tum vero cogitare debemus poetam transitum ex Europa in Asiam ab Argonautis factum silentio praeterisse, quippe qui pro brevitate itineris commemoratione dignus non videretur.<sup>3)</sup> Qua ratione fortasse etiam illa scholiastae verba explicanda sunt φανερὸν οὖν ὅτι ἐν τῇ Εὐρώπῃ, subaudienda enim censeo esse verba ἡσαν οἱ Ἀργοναῦται, ita ut sensus totius loci hic sit: Argonautas ad ulteriorem i. e. Asiaticam oram transisse (διαπλεύσαντες ἐδομήσαντο) inde apparet, quod antea in Europa erant, scilicet apud Phineum. Attamen offensionem non ita levem moveri sentio eo quod de transitu herorum omnino nihil Apollonius dicit, quamquam hoc ipso loco omnino narrationem exilem et pressam esse video. Ac ne illud quidem praetermittendum esse existimem admodum dubium esse, num poeta e fontibus suis<sup>4)</sup> tam subtilem regionum illarum notitiam percepit, ut omnia loca accurate distinxerit, vel, si res illas percepit recleque intellexerit, omnia dilucide exponere sibi proposuerit.

A Phineo degressi postquam deis duodecim sacra fecerunt, ad angustias freti Argonautae pervenient (II, 551), saxisque periculosissimis illis appropinquant<sup>5)</sup>: quibus in describendis cum poeta plane a veritate geographiae abhorreat, uberius versari

<sup>1)</sup> De hoc Fano cfr. Mueller l. l. (ubi omnes locos collectos invenies).

<sup>2)</sup> Aliter censet Brunckius (adnot. ad. h. l.).

<sup>3)</sup> Cfr. Mueller, Geogr. min. II, 61 adnot.

<sup>4)</sup> Schol. Ap. Rh. II, 532: Τιμοσθένης δέ φησι τὸν μὲν Φοίξον παῖδας βωμοὺς δώδεκα ἴδρυσασθαι τὸν θεῶν, τὸν δὲ Ἀργοναύτας τὸν Ποσειδῶνος. Ἡρόδωρος δέ, ἐπὶ τὸν βωμοῦ τεθυκέναι, ἐφ οὖν Ἀργος δὲ Φοίξον ἐπανιὼν ἐτεθύξει: ab his igitur dissentit Apollonius atque videtur alios exscripsisse.

<sup>5)</sup> Cfr. de Symplegadibus Ukert, Geogr. d. Griech. u. Römer III, 2, p. 148 sqq.

non opus est. Nominantur ab Apollonio *πέτραι Πληγάδες* (II, 598, 647) vel *πέτραι Κνανέαι* (I, 2 sq., II, 317), atque collocantur in ostio Bospori, quod in Pontum Euxinum effluit: nam superato eorum periculo Argo navis iam praeter Bithyniam oram vecta esse narratur (II, 621). Atque in hac re consentit Apollonius cum auctoribus antiquioribus, Pindaro<sup>1)</sup>, Sophocle<sup>2)</sup>, Euripide<sup>3)</sup>, qui in eadem regione rupes duas inter se concurrentes fuisse fingunt: Sophocles et Euripides Cyaneas eas — ex insulis vel potius cautibus vere ibi sitis — vocant.<sup>4)</sup> Primus vero, quem quidem nos sciamus, Apollonius accurate Cyaneas et Planetas inter se distinguit<sup>5)</sup>: has prope fretum Siculum, illas in ostio Bospori sitas invenimus: hae ad Homeri<sup>6)</sup> exemplum spectant, illae ex propriis Argonauticarum fabularum rationibus fictae sunt. Neque vero solum naturae, sed etiam nomina diversa sunt: hae nominantur *Πλαγκταί*<sup>7)</sup>, illae modo *Πληγάδες*<sup>8)</sup>, non, ut apud alios mos est, *Συμπληγάδες*, modo *Κνανέαι*<sup>9)</sup>, quorum nomen illud *Πληγάδες* spectat ad fabulam, hoc *Κνανέαι* ad veram geographiam. Uno tantummodo loco poeta Cyaneas sive Plegades sive Symplegades vocat *πλαγκτὰς πέτρας* (IV, 784): ubi tamen, cum plane ad Homeri versus, quibus Iuno Iasonis, cum per Planetas iter faceret, adiutrix fuisse dicitur:<sup>10)</sup>

*Oīη δὴ κείνη γε παρέπλω ποντοπόδος νηῦς  
Ἄργῳ πᾶσι μέλουσα, παρ' Αἴγταο πλέονσα·  
καὶ νύ κε τὴν ἔνθ' ὥκα βάλεν μεγάλας ποτὶ πέτρας,  
ἀλλ' Ἡρη παρέπεμψεν, ἐπεὶ φίλος ἦν Ἰήσων . . . ,*

respiciat, sui carminis plane oblitus — nam ipse Minervam in Symplegadibus, de quibus illo loco (IV, 784) dicitur, heroibus opitulantem fecerat — utramque rem confundit. Praeterea illud *πλαγκταί* hic, ut videtur, nomen proprium non est, sicut aliis

<sup>1)</sup> Pyth. IV, 370: *συνδρόμων κινηθμὸν ἀμαυάκετον πετρᾶν.*

<sup>2)</sup> Antig. 966 sq.

<sup>3)</sup> Androm. 792. — Med. 1 sq. — Iph. Taur. 124 sq., 260, 355, 421.

<sup>4)</sup> Cfr. Strab. 21. — Mel. II, § 99.

<sup>5)</sup> Apollod. I, 9, 22—25. — Strab. 21, 149.

<sup>6)</sup> μ, 59 sqq. cfr. Groeger, *De Argonautic. fabular. hist. quaest.*

p. 52 sqq.

<sup>7)</sup> IV, 858, 922, 937.

<sup>8)</sup> II, 598, 646 sq.

<sup>9)</sup> I, 2 sq., 317 sq.

<sup>10)</sup> μ, 69 sqq. — v. supra p. 9.

locis, et naturam tantum Cyanearum significat: nam pro sensu vocabulorum *Πλαγκταὶ* et *Πληγάδες* non diversae sunt, sed usu distinguebantur: ut Herodotus<sup>1)</sup> narrat Darium regem navigasse ἐπὶ τὰς Κνανέας καλεομένας, τὰς πρότερον πλαγκτὰς Ἑλληνές φασι εἶναι, atque Plinius etiam nomina propria confundit: recensentur enim<sup>2)</sup> „insulae in Ponto Planetae sive Cyaneae sive Symplegades“, cum supra<sup>3)</sup> commemorarentur „in Ponto duae Cyaneae, ab aliis Symplegades appellatae, traditaeque fabulis inter se concucurrisse . . .“ Neque vero solum situ atque nominibus, sed etiam natura Planetae et Symplegades inter se distinguuntur ab Apollonio: nam cum has esse duas rupes inter se concurrentes et omnia, quae inter eas sunt, concutientes describat, illas cautes sub mari paene reconditas esse credit; Homericam Planctarum descriptionem plane omisit, quippe quae sit tam obscura et ambigua, ut, quomodo ille harum rupium naturam sibi finxerit, intellegi nequeat; alias igitur auctores in hac re adire Apollonius coactus erat: nam sine dubio fundamenta eius quam ipse exhibet descriptionis iam dudum iacta erant, ita ut et nomina iam distinguerentur et loca utrisque saxis iuste tributa essent et utrisque propria natura accurate addicta esset: aut Apollonium totam descriptionem ipsum ex cogitasse statuendum est: id quod vix quisquam credit.<sup>4)</sup>

E Symplegadum fabulis iam Apollonius ad veritatis vestigia reddit. Nam ea quam iam tractaturi sumus narratio<sup>5)</sup> a iusto Ponti Euxini periplo, qui vocatur, non ita diversa est: saepissime nomina tantum recensentur atque ad loca, regiones, gentes potissimum spectat descriptio.<sup>6)</sup> Argonautae postquam per fauces Cyanearum cautium Pontum intraverunt, Bithyniae litora legunt, atque praetervehuntur os Rhebae fluvii (II, 349, 652), scopulum Coloneae (II, 652, 791), promunturium Melaenan (II, 349, 653), ostia Phyllidis et Calpae fluviorum (II, 654, 661), dum ad Thyniadem insulam (II, 675) appelluntur. Quibus in rebus non

<sup>1)</sup> IV, 85.

<sup>2)</sup> N. H. VI, § 32.

<sup>3)</sup> IV, § 92.

<sup>4)</sup> Cfr. Groeger l. l.

<sup>5)</sup> II, 650—1288.

<sup>6)</sup> Cfr. v. 651 sqq.; v. 724 sqq.; v. 943 sqq.; v. 965 sqq.; v. 974 sqq.; v. 1002 sqq.; v. 1245 sqq.

omnia ad aliorum narrationes quadrant. Rhebas sive Rhebaeus<sup>1)</sup> fluvius, ad quem Mariandynos Bithynis vicinis subactis quondam fines imperii protulisse Apollonius narrat (II, 790 sq.), satis notus est; sed σκόπελον Κολώνης videtur nemo novisse praeter Apollonium nisi scholiasta, qui ad v. 649 adnotat: Ταχέως δὲ κατέλαβον τὸν τε Ρήβαν καὶ τὸν πρὸ τοῦ Ρήβα σκόπελον καλονοειδῆ ὄντα. Κολώνη δὲ ἄκρα οὕτω καλονυμένη περὶ τὸν Λίκον ποταμόν μέμνηται αὐτῆς Νύμφις ὁ Ἡρακλεότης ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείας. Distinguuntur igitur ab illo duo loca, quibus nomen Κολώνη erat, scopulus ad instar collis ante ostium Rhebae situs et promunturium quod a Lyco fluvio, qui prope Heracleam effluit, non multum abest. Atque est re vera, ut e Gillii<sup>2)</sup> descriptione disco, scopulus talis ante os Rhebae situs; sed accuratius res exquiri non potest, cum ceteri auctores antiqui has Colonas duas omnino non commemorent. Deinde cum Μέλαινα ἄκρα — Nigrum promunturium ut interpretamur — notissima sit<sup>3)</sup>, Phyllis fluvius dubitationem offensionemque movet. Nam Psillis sive Psilis a compluribus auctoribus<sup>4)</sup> fluvius quidam Bithyniae nominatur; a Stephano Byzantio<sup>5)</sup> commemorantur et inter se distinguuntur Φύλλις, Ψίλιον, Ψίλις fluvii Bithyniae: vereor tamen ne eius verba quae sunt: ἔστι καὶ ποταμὸς Βιθυνίας Φύλλις, οὗ Φυλλῆς τὸ θηλυκόν, ex hoc Apollonii loco demum fluxerint<sup>6)</sup>; scholiasta poetae lectionem confirmat, cum dicit (ad v. 652): Φύλλις ποταμὸς Βιθυνίας, atque a geographis senioris aetatis<sup>7)</sup> in illa regione fluvius recensetur, cui nomen est „Filium“ vel „Philium“: est igitur res valde ambigua. Sed cum narrationem eam, quam Apollonius<sup>8)</sup> de Dip-saco heroe, Phyllidis fluvii filio, qui ibi habitasse Phrixumque,

<sup>1)</sup> Rhebaeus: Ap. Rh. II, 791, Orph. Argon. 716; reliquis locis Rhebas legitur.

<sup>2)</sup> Mueller, Geogr. Gr. min. II, 68 sq. et adnot. Muelleri.

<sup>3)</sup> Arriani peripl. 17. — Anonym. peripl. 3. — Marcian. per 8. — schol. Ap. Rh. II, 349.

<sup>4)</sup> Strab. p. 543. — Arr. per 12. — Anon. per 8.

<sup>5)</sup> v. Φυλλῖς, Ψίλιον.

<sup>6)</sup> Cfr. de universa re Mueller. ad Arr. per. 17.

<sup>7)</sup> Geogr. Rav., Tabula Peuting.. — Ammian. XXII, 8, 14 recenset „Phyllis“.

<sup>8)</sup> II, 655 sqq.

cum fugeret, hospitio recepisse dicitur, de fano eius, quamvis nobis quidem ignoto, de campo ad apertas fluvii ripas sito diserte et accurate prodit, respicio, facile credam poetam has res ex auctore et fabulae et regionis illius perito hausisse, ita ut non habeam cur de nomine fluvii ab Apollonio tradito dubitem; utrum autem Phyllis et Psillis unus idemque fluvius fuerint necne, disceptare non ausim. Contra Calpam fluvium satis accurate novimus:<sup>1)</sup> est enim is ad quem Calpes portus ille a Xenophonte<sup>2)</sup> diligentissime descriptus situs erat. Hoc loco occasione data moneam epitheta illa, quibus Apollonius fluvios eos quos commemorat ornare solet, cum Calpam *βαθυρρείοντα* (II, 661) vel Rhebam *ωκυρόνην* appellat (II, 652), non nisi poete dicta vixque ad ipsam veram fluviorum illorum naturam referenda esse: id quod vel inde appetet, quod Calpam illum, fluvium admodum parvum, *βαθυρρείοντα* vocat, quasi mirum quantum aquarum undarumque agitet: eiusmodi rerum enim poetae rationem habere nec solent nec debent. Atque simili modo res se habet de Rhea, qui num re vera *ωκυρόης* fuerit, omnino nescimus. Denique Thynias insula quoque persaepe commemoratur a scriptoribus<sup>3)</sup>, ut sit satis nota: appellabatur Apollonia, quod Apollini sacra erat; itaque Apollonius prodit Argonautas aram Apollini *'Εωΐω* (II, 687 sqq., 696 sq., 702) dedicasse ex eoque totam insulam nominasse; praeterea eos fanum Concordiae, *'Ομονοίης* (v. 719 sqq.), ibi condidisse, quod sua aetate exstitisse ipse poeta confirmat: harum simillimas fabulas supra de Cyzico cognovimus. Quodsi quaerimus, quo e fonte Apollonius sua hauserit, de ara Apollinis fere eadem atque Apollonium narrasse Herodorum scholiasta (ad II, 684) tradit: quem aut ipsum poeta inspexit aut per Nymphidem, quem ex eo complura mutuatum esse veri simile est, recepit. Nam Nymphis quoque insulae mentionem fecerat (schol. ad II, 672). Atque cum Heracleae Ponticae regionibus ab Apollonio fusius descriptis

<sup>1)</sup> Strab. p. 543. — Anon. per. 5. — Marcian. per. 8. — Ptolem. V, 1, 5.

<sup>2)</sup> Anab. VI, 4.

<sup>3)</sup> Scyl. 92. — Strab. 543. — Arr. per. 18. — Anon. per. 6. — Marcian. per. 8. — Pomp. Mel. II, 98. — Plin. VI, § 32. — Steph. Byz. v. *Θυνιάς*.

iam appropinquemus, de auctoribus, quorum libri in his rebus usurpati sunt, pauca praemittenda esse duco. Nymphidem scholiasta ipse (ad II, 729) fontem Apollonii fuisse suspicatur, cum dicit: . . . Νύμφις ἐν τῷ περὶ Ἡρακλεῖας ἀ φησί, παρὸν Ἀπολλώνιος ἔστι ταῦτα μεταφέρειν.<sup>1)</sup> Is<sup>2)</sup> enim, Heracleae Ponticae natus, non multo ante Apollonium floruit et librum de urbe patria sua confecit, ubi, aequa atque a Deilacho de Cyzico factum esse comperimus, cum alias fabulas de primordiis Heraclae traditas tum res, quae ab Argonautis ibi gestae esse narrabantur, exposuit atque, ut erat regionum patriae peritissimus, loca memorabilia accurate descripsit: imprimis ea quae de Acheruside promunturio prope Heracleam sito exhibit Apollonius illi debuit, ut illo scholio statuitur. Nymphidis popularis, sed aetate multo maior erat Herodorus<sup>3)</sup>, qui Socratis temporibus vixit atque pedestri oratione Herculis fabulas conscripsit et Argonautica confecit, ubi fabulas Argonauticas ad Heracleam patriam pertinentes fusius videtur tractasse; sed quamquam a scholiasta saepius laudatur, tamen numquid Apollonius ex eo hauserit, statui nequit. Nymphis vero nonnulla ex eo deprompsisse videtur, ut etiam e scholastae testimoniosis<sup>4)</sup>, quibus eos consensisse cognoscimus, facile intellegimus. Promathidam omittam, cum quamquam περὶ Ἡρακλείας scripsit, ad Apollonium non spectat, quia, ut supra demonstratum est, post Apollonium vixit.<sup>5)</sup> Etiam Callistratus, item Heracleensium rerum scriptor, si modo Muellerus<sup>6)</sup> recte ratiocinatus est, Apollonio minor est aetate. Denique Callisthenem commemoro: „sed, ut ait G. J. Vossius<sup>7)</sup>, cum non unus fuerit Callisthenes, difficile omnino dictu est de singulis quae huius sint Callisthenis, quae alterius.“

<sup>1)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. II, 786: Νύμφις ἴστορεῖ· διὸ καὶ οὐτω γράψει (sc. Ἀπολλώνιος).

<sup>2)</sup> Cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. III, 12: fr. 2, 3, 5, 6, 7, 8, 9, 14, 18, 19.

<sup>3)</sup> Cfr. Mueller, Hist. fr. II, 27: fr. 1, 14, 15, 23, 25, 35—36, 38—46, 48—59.

<sup>4)</sup> ad Ap. Rh. II, 752, II, 815; ad II, 854 eos de quadam re disensisse monet. Apud Muellerum cfr. Nymph. fr. 5 cum Herod. fr. 49, Nymph. 7 cum Her. 56, N. 8 cum H. 58 (qui sunt illi loci).

<sup>5)</sup> Cfr. supra p. 30.

<sup>6)</sup> Ibid. IV, 353 sqq., laudatur schol. ad I, 1126 et II 780.

<sup>7)</sup> De hist. Graecis p. 74 (ed. Westerm.).

Supra enim ubi de Cyzico verba fecimus, vidimus eum Callisthenem, cuius *περὶ πλοντῶν* schol. ad I, 1037 laudatur, ad Apollonium vix pertinere. Iterum eiusdem liber commemoratur schol. ad II, 672 de Thyniade insula: ubi tamen Muellerus<sup>1)</sup> Callistrati, de quo modo dixi, nomen in Callisthenis corruptum esse putat. Sed eum cuius schol. ad II, 936 de Parthenio fluvio mentio fit, Callisthenem esse Olynthium, Alexandri Magni condiscipulum et amicum, et Geierus<sup>2)</sup> et Muellerus<sup>3)</sup> censet, praesertim cum etiam Strabo<sup>4)</sup> de hoc fluvio disserens illius sententias uberius tractet. Sed ut ad nostram quaestionem revertar, num Apollonius quoque libros eius inspexerit, affirmari nequit. — Iam ad loca ipsa accedamus. Ab insula Thyniade (II, 723) Argonautae os Sangarii<sup>5)</sup> fluminis praetervecti dum iam Mariandynorum litora legunt, Lycum fluvium et Anthemusidem lacum conspicunt (v. 726) atque in portum prope Acherusidem promunturum situm deveniunt (v. 730), ubi a Lyco rege Mariandynorum liberaliter recipiuntur. Hic est ipse Heracleae Ponticae locus: Lycus enim fluvius ad meridiem versus non multum ab urbe aberat<sup>6)</sup>, Acherusis sive Acherusias<sup>7)</sup> promunturum a septentrione, cum late in mare, ut vocat Apollonius, Bithynium (v. 732) prominaret, urbem claudebat portumque efficiebat<sup>8)</sup>; Anthemusis lacus aliis fere ignotus — nam praeter poetam et scholiastam<sup>9)</sup> Stephanus Byzantius<sup>10)</sup> tantum eius mentionem facit — sine dubio prope Lycum fluvium erat, quocum fabulis quidem eum arte coniunctum videmus: est enim Anthemusis sive

<sup>1)</sup> Script. Alex. Magni p. 28 sqq.

<sup>2)</sup> Script. Alex. Magni p. 191 sqq.

<sup>3)</sup> I. l. 19: fr. 27.

<sup>4)</sup> p. 542.

<sup>5)</sup> II, 724. — Strab. p. 543, 563. — Arr. p. 18. — Ptolem. V, 1, 6. De Hermogene, schol. Ap. Rh. ad II, 722 commemorato, cfr. Mueller, Hist. fr. III, 523 sq.

<sup>6)</sup> Xenoph. Anab. VI, 2, 3. — Scyl. 91. — Arrian. per. 18. — Anon. per. 9. — Plin. VI, 4.

<sup>7)</sup> II, 354.

<sup>8)</sup> Cfr. tabulas: Kiepert, Atl. v. Griechenl. XVII, et mappam in Hamiltoni Researches, vol. I. — Iaubert, Reisen durch Armenien p. 233 adnot.

<sup>9)</sup> ad II, 724.

<sup>10)</sup> v. Ανθεμοῦς.

Anthemusia huius fluvii filia cum Dascylo nupta, e quo Lyeum, ex avo rursus nominatum, regem Mariandynorum, progenuit: quas res ab Herodoro et Nymphide traditas esse e schol. ad II, 752 discimus. Iam, cum ad geographicam rationem, non ad fabularum ordinem spectemus, omnia quae Apollonius de regione Heracleensi dicit colligere iustumque descriptionem exhibere conuenit. Acherusis promunturium videtur fuisse paeninsulae, cui idem nomen erat<sup>1)</sup>: erat collis late in mare prominens, rupibus cautibusque circumdatus, maris aestibus circumfluxus, platanis ingentibus consitus, quarum strepitus foliis perpetuo vento agitatis cum stridore fluctuum miscebatur (II, 731 sqq.); in summo colle erat, ut quidem ex Apollonii verbis statuere possumus, quibus Lycus rex dicens inducit (v. 808 sqq.):

*Νόσρι δὲ Τυνδαρίδαις Ἀχερονούσιδος ὑψόθεν ἄκρης  
εἴσομαι ἵερὸν αἰπύν· τὸ μὲν μάλα τηλόθι πάντες  
ναυτίλοι ἀμ πέλαγος θηεύμενοι ἥλαξονται,*

fanum Tyndaridarum Castoris et Pollucis<sup>2)</sup>, qui omnino nautis bene adesse credebantur<sup>3)</sup> atque potissimum a Doriensibus colebantur. Heraclea autem erat, cum a Megarensibus condita esset<sup>4)</sup>, — id quod Apollonius quoque commemorat (II, 749 sq., 849) — Dorica colonia; fabulis vero illius fani originem ad heroica tempora prolatam esse videmus. Paulum sub vertice collis erant tumuli duorum Argonautarum, qui ibi mortui esse tradebantur: unus erat Idmonis, oleastro consitus (v. 843 sqq.), de quo satis mire fabulabantur accolae: Argonautas in sepulcro amici phalangam ligneam, quae ad navis apparatus pertinebat, pro signo posuisse, eam autem radicibus actis reviruisse, ut arboresceret et oleaster ille fieret. Idmonem ipsum Heracleenses, cum Agamestora eum vocarent, ut heroem πολισσοῦχον (v. 848) colebant. Alter tumulus prope illum situs erat Tiphyis gubernatoris (v. 855, 861 sq.). A radice collis ad mediterranea vergebat con-

<sup>1)</sup> Xenoph. Anab. VI, 2, 2: *καὶ ὁρμίσαντο παρὰ τῇ Ἀχερονούσιᾳ Χερονῆσφ.*

<sup>2)</sup> Cfr. Arrian. per. 19 et Muelleri adnot.: is quem Arr. recenset locum, cui est nomen Tyndaridae, ab hoc diversus videtur fuisse.

<sup>3)</sup> Cfr. Hemsterhus. ad Lucian. Deor. dial. 26. — Apoll. Rh. IV, 651.

<sup>4)</sup> Cfr. omnino Stiene, De Heraclea Pontica. Muenster. 1870. — Schneiderwirth, Heraclea am Pontus. Pr. v. Heiligenstadt. 1882.

vallis, in qua erat specus arboribus opaca et saxis circumclusa, propter naturam terribilem „specus Orci“ appellata: exhalabat autem vapores valde frigidos, etsi pruinæ, quae circumfunderbantur, meridiei calore liquecabant (II, 736—741). Prope promunturium ipsum e fauicibus quibusdam fluvius oriebatur et, brevi cursu ut videtur, in mare effluebat; (v. 745) cui, quod quasi ex inferis proruere videbatur, Acheronti nomen erat; atque promunturium quoque ex eo nomen tulit; sed quod ostium illius navibus ad promunturium illud periculosissimum vento agitatis refugium erat, ipse Sonautes vocabatur (v. 748). Iam moneam illud Tyndaridarum fanum, de quo modo dixi, ad easdem res spectare. Sed de Sonaute fluvio Apollonium non recte dicere C. Muellerus<sup>1)</sup> opinatur: Plinius<sup>2)</sup> enim ab occidente ad orientem versus Sonauten post Callichorum fluvium recenset; Callichorum autem — de quo infra tractabimus — putat ille eundem esse flumen, quem ceteri<sup>3)</sup> nominant Oxinam; Oxinas autem ab Heraclea longissime — ex Arriani periplo<sup>4)</sup> ducenta decem stadia computo — abest: ergo Sonauten, quem a Callichoro sive Oxina etiam latius ad orientem spectare Plinius exhibit, ab Acheronte illo Heracleensi plane diversum esse Muellerus statuit. Concedo Plinii verba cum Apollonii descriptione pugnare: sed primum quidem, num Oxinas et Callichorus unus idemque fuerint flumen, satis dubium est: nam scholiasta Ap. Rh. II, 904, quo nititur Muellerus, dicit Callichorum ab aliis vocari Ὀξίνωτα, non Oxinam: quae nomina, quamvis inter se similia, eadem non sunt: ergo contendi non potest Oxinam et Callichorum eundem flumen esse: sed licet sint, nonne iudicare possumus Plinium illo loco ordinem geographicum omisisse? Omisit vero aliis locis<sup>5)</sup>, ubi Cromnam ante Sesamum nominat et Parthenium flumen inter Stephanen urbem et Cerambim promunturium recenset! Ergo non habeo cur Apollonii descriptionem repudiem, praesertim cum e Nymphide vel Herodoro<sup>6)</sup> auctoribus locupletissimis — nam erant Heracleae nati illi — his rebus eum optime imbutum

<sup>1)</sup> ad Arriani per. 19.

<sup>2)</sup> N. H. VI, 4.

<sup>3)</sup> Peripli Arr. 19, anon. 9, Marc. 8.

<sup>4)</sup> l. l.

<sup>5)</sup> VI, 5.

<sup>6)</sup> Cfr. schol. ad. II, 901, ubi Herodorus de Acheronte laudatur, atque fere eadem atque Apollonius tradidisse fertur.

fuisse credam. Si vero accuratius situm Sonautae fluvii ex Apollonio exquirere studemus, graves difficultates exoriri videmus: versus sunt hi (II, 745 sqq.):

*"Ἐνθα δὲ καὶ προχοὰ ποταμοῦ Ἀχέροντος ἔστιν,  
ὅστε διεξ ἄκρης ἀνερεύγεται εἰς ἄλλα βάλλων  
ἡσίην· κοίλη δὲ φάραγξ κατάγει μιν ἀναθεν.*

Profluebat igitur ex ipso promunturio fluvius ille: sed ubi terrarum est haec ἄλις ἡσίη, quo effluere dicitur? Qua de re Merkelius haec adnotat:<sup>1)</sup> *'Hοίην* aut *ἡσίην* explicatum non habet: totus pontus Euxinus indicari nequit; sinus in quem effluit fluvius, ab occidente est, ut scholia habent et mappae geographicæ docent. Aut igitur scribendum *Hοίην* pro nomine eius sinus, aut temptanda emendatio. Ionium mare pars orientalis Ponti Euxini etiam *A*, 288, 308 (Ap. Rh.) nuncupatur. Ammianus Marc. XXII, 13: „Bospori vocati quod per eos quondam Inachi filia . . . ad mare Ionium permeavit.“ Emendationem istam minime probem, sed traditam lectionem retineam; atque quomodo res se habeat de eis locis, quos Merkelius laudat, IV, 288, 308, infra videbimus. Contra quod fluvium in sinum qui ad occasum spectat effluere iudicat, recte dicere videtur, quamquam res certa non est. Scimus enim portum Heracleæ prope Acherusiadē Chersonesum, ex qua erat sine dubio promunturium illud, fuisse<sup>2)</sup>: hic est sine dubio ἄκρης *Ἀχεροντίδος ὁρμος* (v. 730), quo effluit Acheron, cuius in ostium nautæ, sicut Argonautæ fecerunt, naves deducebant;<sup>3)</sup> Heraclea autem urbs ipsa sita erat ad sinum illum, quem promunturium a septemtrionibus claudit.<sup>4)</sup> Iam, ut ad Merkelium revertar, num sinus ille *Hοίη* ἄλις proprie nominatus sit, plane nescimus: equidem vero absurdum esse statuo sinum, qui est ab occidente, orientale mare vocari. Nescio igitur an *ἡσίην* ἄλις de toto Ponto Euxino dictum esse intelle-

<sup>1)</sup> p. 107 ed. mai.

<sup>2)</sup> Cfr. Xenoph. An. VI, 2, 2: *ἀρμίσαντο παρὰ τὴν Ἀχεροντίδην Χερρονήσῳ.*

<sup>3)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. II, 901: *ἴτυχον* (sc. *Ἄργοναῦται*) *γὰρ μέχρι* *τὸν ἀπαλεύσαντες διὰ τὸν Ἀχέροντος καθορμισόμενοι* (ex Herodoro).

<sup>4)</sup> Cfr. Iaubert, l. l. p. 233 adnot.

gendum sit:<sup>1)</sup> est enim omnium explicationum simplicissima, quamquam ipse concedo hanc elocutionem esse satis mirabilem. Denique in finibus Mariandynorum breviter commemorantur ab Apollonio fluvii e periplis<sup>2)</sup> notissimi Billaeus, qui ad orientem Paphlagonesque spectabat, et Hypius, cuius ripas quondam Bebryces ab occidente occupasse narrantur (v. 793, 797); fabulae, quibus Mariandyni olim Bithynos et Phryges et Mysos subegisse traduntur, ad nostram quaestionem vix pertinent (v. 788 sqq.).

Iam cursum Argus navis amplius prosequamur. Heroes e Lyci hospitio liberalissimo profecti primum Callichori fluminis ostium praetervehuntur (II, 906): cui hoc nomen eo inditum esse fabula erat, quod ad eius ripas et in Aulio antro, quod prope eum fuisse videtur, Bacchus ex India reversus choros duxisset orgiaque exercuisset.<sup>3)</sup> De situ huius fluvii e poeta nihil discimus nisi eum ab Heraclea ad orientem spectasse. Scylax<sup>4)</sup> et scholiasta Apollonii<sup>5)</sup> Paphlagoniae fluvium eum appellant, cum periplorum auctores eum plane silentio praetereant aliumque, cui nomen est Oxinas, fluvium illic recenseant. Iam cum scholiasta Apollonii alterum nomen Callichori fuisse „Oxynon“ prodat (ad II, 904), Muellerus<sup>6)</sup> colligit e similitudine vocum „Oxynon“ et „Oxinas“ ipsum Callichorum esse Oxynam: id quod, ut supra dixi, admodum dubium esse iudico. Etenim alii<sup>7)</sup> et Apollonius<sup>8)</sup> Paphlagoniam Billaeo fluvio ab Mariandynorum terra dividi exhibent: Oxinam autem periplorum scriptores<sup>9)</sup> a Billaeo ad occidentem spectare referunt, cum illum Callichorum Paphlagoniae fluvium esse ipse Scylax<sup>10)</sup> et scholiasta Apollonii tradant.

<sup>1)</sup> Cfr. Gerhard, *Lectiones Apollonianae* p. 80 sq.

<sup>2)</sup> Arrian. per. 18 sq. — Anon. per. 8 sq. — Marc. per. 8. — Scyl. 91. — cfr. Mannert, *Geogr.* VI, 3, p. 616 sq.

<sup>3)</sup> II, 907 sqq., schol. ad. h. l. — Ammian. XXII, 8, 22.

<sup>4)</sup> 90.

<sup>5)</sup> ad II, 904.

<sup>6)</sup> ad Scyl. 90.

<sup>7)</sup> Plin. N. H. VI, 4 sq. — Marian. per. 8. — Arrianus terminum Paphlagoniae etiam ad Parthenium reducit: per. 20.

<sup>8)</sup> II, 793: unde vel ad utramque ripam Paphlagones habitasse statuas.

<sup>9)</sup> Arrian. 19. — Anon. 12. — Marc. 8.

<sup>10)</sup> Apud hunc est ipse Callichorus terminus Paphlagoniae: qui

Prorsus vero respuo aliam Muelleri sententiam: is enim Aulium antrum ad eandem regionem pertinuisse atque *Μητρῷον* illud, quod octoginta stadia Heraclea abfuisse Arrianus commemorat<sup>1)</sup>, eo putat quod et in anonymo periplo<sup>2)</sup> locus ille nominatur *Μητρῷον τὸ νῦν καλούμενον Αὐλία* et quod omnino in illis regionibus cultus Rheae sive Magnae Matris, cuius fanum illud *Μητρῷον* fuisse videtur, et Bacchi, cui Aulium antrum sacrum erat, inter se saepius coniuncti erant. Sed in hac re Muellerus cum se ipso pugnat: ex Apollonii verbis apparet Aulium antrum prope Callichorum fuisse (cfr. II, 909): quem esse Oxinam ille putat: ab Oxina autem — ut Arrianus docet — Metroon centum et tringinta stadia abfuit. Atque videt ipse Muellerus ratiocationem suam non constare atque difficultates expedire studet, cum Apollonium ordinem geographicum non servasse contendat: quam sententiam eo confirmare conatur, quod poeta de Sonautae fluvii situ — qua de re supra dixi — a Plinio dissentit; at supra demonstrasse videor etiam Plinium interdum ab ordine geographicō decidere neque esse cur Apollonio minus crederemus quam Plinio. Callichoro relicto tumulum Stheneli Argonautae conspiquunt (II, 913), ad quem escensione facta aram *νησσόφων Απόλλωνι* dedicant sacraque faciunt (v. 929 sq.); tum Orpheus lyram in ara positam consecrat, unde locus ille nomen Lyrae accipit (v. 931). Etiam hic locus in Paphlagonia, ut e schol. ad II, 911 et 929 cognoscimus, erat, sine dubio inter Billaeum et Parthenium fluvios; accuratius autem situs definiri nequit, cum Ammiani<sup>3)</sup> descriptio, ubi sepulcrum Stheneli commemoratur, plane confusa sit: Lyram locum praeter scholiastam Apollonii Valerius Flaccus<sup>4)</sup> commemorat, qui tamen non nisi Apollonii narrationem repetit. Multo notior est Parthenius fluvius, cuius ostium Argonautae a Lyrae loco degressi praetervehuntur (II, 938): iam ab Homero<sup>5)</sup> commemoratur; nomen autem eum tulisse eo quod Diana virgo —

---

quamquam a Billaeo ad occidentem spectare videtur, nescio an non ducenta nonaginta stadia — ut erat Oxinas ille ex Arriani calculo — ab eo abfuerit. — cfr. Kiepert, Atlas v. Hellas t. XVII, ubi Oxinas et Callichorus inter se distinguuntur.

<sup>1)</sup> per. 19; cfr. Mueller. ad h. l.

<sup>2)</sup> § 12.

<sup>3)</sup> XXII, 8, 22.

<sup>4)</sup> Argon. V, 100.

<sup>5)</sup> B, 854. cfr. supra p. 25.

sicut Apollonius ipse narrat v. 939 sqq. — in eo lavari crederetur, prodiderat Callisthenes, ut scholiasta ad II, 936 adnotat; atque e Strabone<sup>1)</sup> quoque discimus illum, qui est Olynthius, ut supra dixi, intellegendus, de Homeri versibus illis, qui de hoc fluvio sunt, egisse: fortasse igitur Apollonius ex eo sua desumpsit. Eadem et de natura tranquilla fluvii et de fabula atque Apollonius tradit Scymnus<sup>2)</sup>:

Παρθένιος . . . οὗτος δὲ ποταμός  
πλωτὸς καταφέρων ὁεῖθρον ἡσυχώτατον.  
. . . ἐν δὲ αὐτῷ λόγος  
Ἄρτέμιδος εἶναι λοντρὸν ἐπιφανέστατον.

— De urbibus Paphlagoniae quae iam sequuntur Sesamo, Erythinis, Crobialo, Cromna, Cytoro (II, 943 sq.), in priore dissertationis parte, ubi de Homericæ geographiae imitationibus dixi, satis mihi multa verba fecisse videor. — His urbibus relictis heroes Carambim promunturum circumvecti esse narrantur (II, 945), cuius de situ apte poeta dicit (II, 360 sqq.):

Ἐστι δέ τις ἄκρη Ἐλίκης κατενατίον ἀρχτον<sup>3)</sup>  
πάντοθεν ἥλιβατος, καὶ μιν καλέοντι Κάραμβιν,  
τῆς καὶ ὑπερ βορέα περισχίζονται ἀελλαι·  
ῳδε μαλ' ἀμ πέλαγος τετραμένη αἰθέρι κύρει.

Ab hoc promunturio ad orientem versus Apollonius litus, quod ποντὸν αἴγιαλόν vocat, late porrigi narrat (II, 364 sq.; 946 sq.): atque ad certum nomen et locum poeta videtur spectare: nam cum et proprie hanc universi litoris partem αἴγιαλόν vocet et cum ipsam hanc partem accurate terminis distinguat et discernat — dicitur enim vergere a Carambi promunturio usque ad actam, ubi Halys effluit (v. 365 sq.), — hoc litus e reliquo Asiae litore quod est idem „αἴγιαλός“, clare excipit. Itaque non multum interest, utrum scribatur αἴγιαλός an Αἴγιαλός: <sup>4)</sup> constat quidem dici de certa litoris Paphlagoniae parte. Atque etiam Strabo<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> p. 542.

<sup>2)</sup> v. 968 sqq. (apud anon. per. 14). cfr. Iaubert, Reise durch Armenien und Persien, p. 231.

<sup>3)</sup> Cfr. Strab. p. 125, 309, 496, 545. — Ptol. V, 4, 2.

<sup>4)</sup> Illud legitur in edit. min., hoc in edit. maiore Merkelii. cfr. adnot. eius (p. 88 et 117 ed. mai.).

<sup>5)</sup> p. 545.

hanc litoris regionem commemorat, sed de situ eius ab Apollonio graviter dissentit; dicit enim hunc *Αλγιαλόν* a Carambi promunturio ad occidentem, non ut Apollonius tradit, ad orientem spectare<sup>1)</sup>; scholiasta Apollonii<sup>2)</sup> quamquam de situ huius litoris cum poeta consentit, tamen de spatio eius aliter censet: nam usque ad Sinopen tantum id porrigi statuit. Quas differentias si explicare volumus, statuendum nobis esse iudico terminos huius litoris ab alio aliter definitos esse, modo magis ad orientem prolatos, modo magis ad occidentem reductos esse, ita ut non solum ea quae de spatio et longitudine computabantur, sed etiam ea quae de universo situ prodebantur ab alio aliter indi- carentur magnaenque discrepantiae exorerentur. — Iam ad Sinopen- sem oram appulsi Argonautae Deileontem et Autolycum et Phlo- gium, Herculis comites, ibi habitantes inveniunt (II, 948, 957 sqq.); ii enim credebantur primi Graecorum coloni fuisse, qui Sinopen incolerent, ut in Scymni periegesi<sup>3)</sup> legimus de hac urbe:

*Ην ποτε μὲν φύκουν εὐγενεῖς ὄντες Σύροι,  
μετὰ ταῦτα δ', ὡς λέγονται, Ἐλλήνων ὄντοι  
ἐπ' Αμαζόνας διέβησαν, Αὐτόλυκός τε καὶ  
σὺν Δημόκριτο Φλόγιος, ὄντες Θέσσαλοι.*

Regionem poeta vocat Assyriam atque eam a Sinope fere usque ad Iridem flumen pertinere dicit: eodem nomine Scylax<sup>4)</sup> etiam totum tractum appellat, qui a Chalybibus „usque ad Sinopen et paullo ultra“, ut ait Muellerus, pertinere recensetur; Dionysius periegeta vero re ad Scylacem, verbis ad Apollonium spectat, cum dicit (v. 772):

*Τοὺς (i. e. Χάλκιας) δὲ μετ' Ασσυρίης πρόχυσις χθονὸς  
ἐκτετάννυσται.*

Reliqui quoque auctores alii alia produnt: secundum Scymnum, ut modo vidimus, Sinope in Syrorum finibus sita erat; contra Herodotus<sup>5)</sup> Συρίους per Halyn flumen a Paphlagonibus ad occidentem versus habitantibus dividi narrat; quocum Strabo<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. Meineke, Vindiciae Strabonianae p. 192.

<sup>2)</sup> ad II, 945.

<sup>3)</sup> v. 943 sqq. cfr. Mueller ad h. l.

<sup>4)</sup> § 89. cfr. Mueller ad h. l.

<sup>5)</sup> I, 72.

<sup>6)</sup> p. 544.

consentit, nisi quod quos ille Syrios vocat ipse Leucosyros appellat: atque eos esse Cappadoces dicit. Attamen ad earum quas Apollonius tradit rerum aetatem nomen Assyriae de Sino-pensi regione dictum optime quadrat: nam tum cum Graeci primi advenerunt, Sinope erat Assyria urbs<sup>1)</sup>; fortasse igitur consilio poeta illo nomine usus est, ut antiquitati rerum responderet: certum quidem est nonnullos geographos de hoc nomine egisse<sup>2)</sup>; fortasse etiam de origine et memoria eius verba fecerunt; neque vero solum de hac re, sed ne de fontibus quidem, quos Apollonius exscripsit, quidquam scimus: nihil scimus nisi Andronem et Artemidorum istius nominis mentionem fecisse<sup>3)</sup>: quorum hic, Ephesius ille geographus, multo post Apollonium vixit, ille, si modo Muellerus<sup>4)</sup> recte coniecit, intellegendus est Alexandri Magni comes ab Arriano<sup>5)</sup> commemoratus; confecit autem periplum, quo etiam fabulas tractabat: ei fortasse poeta sua debet. Neque tamen sibi constituit Apollonius: alio enim loco (IV, 244 sqq.) enarrat Argonautas, cum domum redirent, Medea iubente ad Paphlagoniam oram, πάροιθ' Ἀλνος ποταμοῦ, appulsos Hecatae sacra fecisse: atque fanum deae tum dedicatum adhuc extare (v. 250 sqq.); hoc igitur loco Halyn fluminis regiones, quas illic Assyriae tribuit, Paphlagoniae assignat. Hanc differentiam nescio an explicare possimus, si statuimus Apollonium alio loco alium fontem usurpasse: e scholio quidem ad IV, 247 adscripto compierimus de fano illo Hecatae Nymphidem egisse, quem Apollonii auctorem fuisse supra vidimus. — Ad Halyn adiungitur a poeta Iris fluvius, ἄγχιλλοος et μειότερος dictus, quae epitheta ad illum referenda sunt (II, 367 sq., 965). Atque Iridem minorem esse quam Halyn Xenophon quoque affirmat, qui illum tria plethra, hunc duo stadia, quae sunt duodecim plethra, latum esse tradit.<sup>6)</sup> Vocabuli ἄγχιλλοος significationem non admodum pre mendam esse existimo, — distant quidem inter se horum flu-

<sup>1)</sup> Cfr. Curtius, Griech. Geschichte, 5. Aufl. I, 405: . . . Sinope, der assyrische Hafenort, auf den die grosse Reichsstrasse auslief, welche von Ninive her über den Euphrat quer durch Kleinasien gebahnt war. — M. Duncker, Gesch. des Alterth., 4. Aufl., I, 394.

<sup>2)</sup> Cfr. Eustath. ad Dionys. 772.

<sup>3)</sup> Schol. Ap. Rh. II, 946.

<sup>5)</sup> Hist. Ind. 18, 7,

<sup>4)</sup> Hist. II, 348 fr. 1 et 2.

<sup>6)</sup> Anab. V, 6, 9.

vierum ora, ut ex Arriani<sup>1)</sup> periplo computo, quingenta et octoginta stadia — sed poeta nihil nisi cursus eorum vicinos esse universe indicare vult. Quod vero Iridem λευκῆσι δίναις (v. 368) in mare effluere dicit, poetice fixisse videtur: Hamiltonus<sup>2)</sup> quidem eum vidit „muddy and yellow“, quare scripsit: „I cannot ... understand why Apollonius and Dionysius Periegetes<sup>3)</sup> should have applied to it the epithets of „white“ and „pure“; or the λευκαὶ δίναι of Apollonius must have been of a very opaque white“. — Ex eo loco, ubi Iris effluit, ora maritima aliquantum in mare procurrit, ut poeta describit verbis (II, 369 sq.):

Κεῖθεν δὲ προτέρωσε μέγας καὶ ὑπελροχος ἀγκών  
ἔξανέχει γαίης . . . ;

Hic videtur idem tractus esse quem infra (v. 966) Άσσυρίης πρόχυσιν χθονός vocat: audiamus enim scholiastam de hac re; qui ad illum locum haec adnotat: ἐκεῖθεν (ab Iride) δὲ προελθοῦσιν ἀκτήν τινα εἶναι φησιν ἐγκειμένην εἰς θάλασσαν . . . , vocem Άσσυρίης πρόχυσιν hoc modo explicat: πρόχυσιν ἔφη τῆς Άσσυρίας, τουτέστι Λευκοσυρίας, τὴν ἐγκειμένην χώραν αὐτῆς εἰς θάλασσαν, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἐπάνω λεῖπον Ἀλιν ποταμὸν, λίπον δὲ ἀλιμνόεα χώραν Άσσυρίης ἀνέχουσαν ἀπὸ χθονός.

Toῦτο δὲ εἶπεν ὡς ποταμοχώστον τῆς γῆς οὖσης διὰ τὸ μεγάλους εἰς αὐτὴν καταφέρεθαι ποταμὸν Ἀλιν καὶ Ἰοιν. Καὶ οὕτως ἔχει ταῖς ἀληθείαις, καὶ πρὸς ταῖς ἄκραις ἡ χώρα ἔγκειται. Λιὸν ποταμόχωστον λέγει εἶναι Ἀπολλωνίδης<sup>4)</sup>. Τοὺς γὰρ προειρημένους ποταμοὺς ἀμφοτέρους, μάλιστα τὸν Ἰοιν, μακροῖς αὐτὴν προσχώμασιν εἰς μέσον ἐκτείνειν τὸ πέλαγος. Λιὸν δὴ σύμπασαν εἶναι ποταμόχωστον τὴν γῆν καὶ ἄλλοτε πατ' ἄλλους ἐκδιδόναι τόπους εἰς τὴν θάλασσαν τὸν Ἰοιν. Βίαιον γὰρ καὶ πολὺν αὐτὸν ἀπὸ τῆς Αρμενίας διὰ χειμερίου καὶ μακρᾶς [χώρας] φερόμενον παρασύρειν τὴν γῆν. Τοῦ δὲ κύματος παλίσσουτον ἐλαύνοντος ἐπὶ τὴν γῆν τὴν ἵλυν συμ-

<sup>1)</sup> § 22.

<sup>2)</sup> Researches in Asia Minor I, p. 283.

<sup>3)</sup> v. 783.

<sup>4)</sup> Cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 309 sq., qui eum inter Mithridatis et Strabonis tempora vixisse putat. De re cfr. Ukert, Geogr. III, 2, 174.

βαίνειν τὴν χώραν ἐπιπολὸν παρανέσθαι καὶ τὴν θάλασσαν γίνεσθαι τεναγόδη. Halys igitur ac potissimum Iris multum limum secum portabant, quem sub ostiis affundebant, ita ut novam terram aggererent: atque ipse Ancon erat tractus ποταμόχωστος, Iridis limis aggestus; nomen autem sine dubio e forma incurva tulit<sup>1)</sup> — Iam ad Amazonum gentem fabulosam pervenimus. Sed quamvis gens ipsa ad fabulas et ad ultimam vetustatem pertinet, terrae descriptionem quam Apollonius exhibet a veritate fideque non abhorrere videbimus. Prope promunturium, quod poeta Θεμισκύρειον ἄκοην (II, 371) vel Αμαζονίδων λιμενήοχον ἄκοην vocat (II, 967), Thermodon fluvius in sinum quendam effluit (II, 370 sqq., 972 sq.); promunturium illud ab aliis<sup>2)</sup> nominatur Ἡράκλειον, sine dubio ob ipsam eam rem, quam Apollonius quoque commemorat (II, 968 sqq.): ibi enim Hercules cingulum ab Hippolyte recepisse dicebatur; promunturium ipsum a Thermodonte ad occasum vergit: nam Argonautae id prius circumvehuntur, quam in portum ad illius ostium situm deveniunt: quam poetae descriptionem geographi confirmant.<sup>3)</sup> Deinde satis multa verba Apollonius de cursu Thermodontis facit (II, 974—986), quae singula perlustremus: neque enim omnia dilucida sunt. Atque illum fluvium in Amazonis montibus, sicut poeta tradit, nasci Plinius<sup>4)</sup> confirmat: etiam hodie hos montes „Masón Dagh“ nominari apud Hamiltonum lego scriptum.<sup>5)</sup> In his igitur montibus verus fluvii fons est, ex quo ille profluit; iam, ut pergit poeta, ἔνδοθι, i. e., ut equidem interpretor<sup>6)</sup>, in locis mediterraneis, priusquam in planitiem orae

<sup>1)</sup> Peripli recensent Ἀγκῶνα λιμένα (Arrian. 22) vel Ἀγκῶνος λιμένα (Anon. 28) ad Iridis ostium situm. efr. Kiepert, Atlas v. Hellas. t. XVIII. — Hamilton, Researches I, 287 sq. (cuius sententiam jure refellit Muellerus ad Arr. per. 22) et mappam („Chalti Bourou“-Ancon); Hamiltoni verba cum chartae imagine non congruunt; equidem chartam probo. efr. I. Peters, De C. Valerii Flacci vita et carmine p. 69.

<sup>2)</sup> Arr. per. 22. — Anon. per. 29 (Ἡράκλειον ἴερὸν καὶ ἀκρωτήριον). — Strab. 548; Ptolem. V, 6, 3 erravit, cum post Themiscyram promunturium nominat.

<sup>3)</sup> Cfr. Mueller ad. Arr. per. 22.

<sup>4)</sup> N. H. VI, 10.

<sup>5)</sup> Researches I, 283.

<sup>6)</sup> Cfr. Shawii versionem latinam huius totius loci. Mordtmannii (Die Amazonen, Hannover 1862, p. 76 sq.) interpretationem respuo.

maritimae devenit, per terram ex adverso obtentam atque satis editam diffinditur — nimirum quod meatus retinetur: dividitur autem in sex et nonaginta partes, quas Apollonius *κελεύθους* vel *πόρον* (vv. 981, 984) vocat; hae partes alia alia via in planitiem demissam decurrunt, multae earum omnino non proprie nominantur, ubi effluunt, sed obscurae sunt; maxima vero pars, qui est ipse fluvius Thermodon dictus, aperte prope curvam actam, quae est promunturii Heraclei, postquam ceterarum paucas rursus in se recepit<sup>1)</sup>, in Pontum effluit. Quodsi de hac descriptione iudicium facere volumus, Strabo<sup>2)</sup>, qui solus paulo uberius de illo fluvio agit, adhibendus est: is autem Thermodontem in multas partes dividi omnino nusquam commemorat: nihil dicit nisi eum fluviis rivisque non paucis in se receptis unum per campum Themiscyrae fluere; recentiores quoque, ut Iaubertus<sup>3)</sup> et Hamiltonus<sup>4)</sup> permultos amnes et rivos in illa regione esse narrant, sed has esse Thermodontis partes nemo prodit: immo Hamiltonus Apollonii versus ad suas rationes accommodat dicens:<sup>5)</sup> „He<sup>6)</sup> also bears witness to the numerous waters which traverse these extensive plains, known in former days by the name of Doeantius Campus.“ Hoc recte dictum est: at non omnia, quae poeta exponit, ad veritatem quadrare videantur. Iam quaeritur, cui Apollonius descriptionem suam debeat: cogitem de Pherecyde, quem scholiasta ad II, 990, ubi de genere Amazonum dicit, diserte auctorem Apollonii de hac re fuisse tradit:<sup>7)</sup> fortasse igitur alia quoque, quae de terra et gente earum enarrat, ex illo hausit. Nam ad eas reliqua omnia loca prorsus spectant:<sup>8)</sup> incolunt campum Doeantium, secundum schol. ad II, 988 ad Thermodontem situm:<sup>9)</sup> ibidem erat nemus Aemonium, in quo Harmonia Amazonum stirpem e Marte procreasse dicitur

<sup>1)</sup> i. e. ἄμμιγα παύροις. cfr. Strabonis descriptionem.

<sup>2)</sup> p. 547.

<sup>3)</sup> Reise in Armenien etc. p. 219.

<sup>4)</sup> Researches I, 280 et 283.

<sup>5)</sup> Ibid. I, 283 sq.

<sup>6)</sup> i. e. Apollonius.

<sup>7)</sup> Φησὶ Φερεκύδης, φέπεται Ἀπολλάντιος. cfr. supra p. 28.

<sup>8)</sup> Cfr. de Amazonibus: Ukert, Geogr. d. Gr. u. R. III, 2, p. 379 sqq.

— Mordtmann, Die Amazonen, Hannover 1862. p. 51.

<sup>9)</sup> Hamilton, l. l.

(v. 994); habitant in tribus urbibus, unde nominantur Themiscyreæ, Lycastiae, Chadesiae.<sup>1)</sup> Themiscyra urbs, Amazonum sedes nobilissima, ad Thermodontem sita, satis nota<sup>2)</sup> est; ceterae duæ a plerisque ignorantur: sine dubio vici erant ad Lycastum et Chадisium fluvios, qui inter Amisum et Iridem flumen in periplus recensentur, siti.<sup>3)</sup> — Ab Amazonum antiquitate iam ad historiam deflectit narratio Apollonii atque verae gentes enumerantur (II, 1002 sqq.):<sup>4)</sup> Chalybes, Tibareni, Mossynoeci, Philyres, Macrones, Bechires, Sapires, Byzeres, Colchi; atque fusius tractantur Chalybes, Tibareni, Mossynoeci, de quibus quas poeta prodit res fide historicorum et geographorum comprobatas esse videbimus. Et primum quidem si situm harum trium gentium respicimus, iure miretur quispiam, quod Apollonius alium ordinem atque Xenophon, qui ipsis de his regionibus est locupletissimus auctor, exhibet: hic enim primum<sup>5)</sup> ad Phasim flumen, quem fuisse Araxem in superiore cursu illo altero nomine vocatum veri simile est, Chalybes offendit; ad quos Chalybes mediterraneos fortasse etiam Plinius spectare videtur, cum „Armenochalybes“ commemorat.<sup>6)</sup> Tum Xenophon cum iam oram maritimam legeret, ab oriente ad occidentem versus peragrasse se narrat<sup>7)</sup> fines Mossynoecorum, Chalybum, quos numero per exiguos atque illorum Mossynoecorum imperio subiectos fuisse dicit, Tibarenorum. Contra Apollonius ab occidente ad orientem versus recenset Chalybes, Tibarenos, Mossynoecos. Sed hanc discrepantium facile explicare possumus, si reputamus, Xenophontem iam Cotyrae, in urbe Tibarenorum<sup>8)</sup>, cum exercitu naves ascendisse atque inde, cum navigatione uteretur, accuratam gentium enu-

<sup>1)</sup> II, 374, 997, 1001 sq.

<sup>2)</sup> Aeschyl. Prom. 723 sqq. — Herod. IV, 86; IX, 27. — Strab. p. 544. — Mel. I, 105.

<sup>3)</sup> Cfr. Anon. per. 28. — Marc. per. 10. — Steph. Byz. v. Λίζαστος, Χαδισία. — Plin. VI, § 9. — Mel. I, 105. — Schol. Ap. Rh. II, 373, 999.

<sup>4)</sup> Cfr. Hansen, De gentibus in Ponto orientali inde a Thermodontem fluvio ad Phasim usque habitantibus. Kiel 1876.

<sup>5)</sup> Anab. IV, 6, 4 sq.

<sup>6)</sup> III, 12.

<sup>7)</sup> Anab. V, 4, 2 sqq.; 5, 1 sq.

<sup>8)</sup> Xenoph. Anab. V, 5, 3 sqq.; VI, 1, 14.

merationem omisisse, ut eorum Chalybum, qui ab occidente Tibarenos attingebant, mentionem non faceret.<sup>1)</sup> Eam rursus Chalybum partem quam Xenophon vidit cum ceteri tum Apollonius silentio praetermittunt, aut quod eam propter exiguitatem plane ignorabant aut propria commemoratione dignam non habebant, aut quod hi Chalybes postea plane in Mossynoecorum statum et speciem, cum essent eis subiecti, defluxerant.<sup>2)</sup> Praeterea eum quem Apollonius prodit ordinem confirmant Scylax<sup>3)</sup>, Scymnus<sup>4)</sup>, Mela<sup>5)</sup>, Plinius<sup>6)</sup>, Dionysius<sup>7)</sup>; e Strabonis<sup>8)</sup> descriptione autem certius quidquam de hac re exquiri nequit, quod is neque ordinem neque fines diserte indicat, sed has nationes omnes breviter amplectitur. Nunc singulas gentes consideremus.<sup>9)</sup> Chalybes, quod terram admodum sterilem incolebant (II, 375), neque agriculturae operam dabant<sup>10)</sup> neque pecora alebant, sed in ferri fodinis, quae in illis regionibus cereberrimae erant<sup>11)</sup>, victum quaerebant (II, 376, 1004 sqq.): quibus in operibus occupatos apte poeta eos depingit, cum dicit (v. 1008):

. . . οὐ δέ ποτέ σφιν  
ἥώς ἀντέλλει καμάτων ἄτερ, ἀλλὰ κελαινῆ  
λιγνύτι καὶ καπνῷ κάματον βαρὺν ὄτλεύονσιν.

Omnino apud antiquos haec gens ob ferrum, quod ab ea effodiebatur et exportabatur, notissima erat.<sup>12)</sup> Inter Chalybes et Tibarenos Apollonius narrat quasi terminum esse Ζηνὸς Εὐξείνοιο Γενηταίην ἄκρην (II, 378) sive Γενηταῖον Διός ἄκρην (II, 1011).

<sup>1)</sup> Cfr. Mueller ad. Scyl. 88.

<sup>2)</sup> Muellerus (l. l.) et Hansenus (p. 30) putant hos quos Xenophon peragravit Chalybes eosdem esse quos Strabo prope Pharnaciam habitantes commemorat: id quod dubium esse censeo.

<sup>3)</sup> 86 sqq.

<sup>4)</sup> Apud anon. per. 31 sqq.

<sup>5)</sup> I, 106.

<sup>6)</sup> VI, 11.

<sup>7)</sup> v. 766 sqq.

<sup>8)</sup> p. 548 sq.

<sup>9)</sup> Cfr. Strab. p. 549: ἡ παραλία στενὴ τελέως ἔστιν . . . γεωργεῖται δ' οὐ πολλά.

<sup>10)</sup> Hodie quoque ibi ferrum effoditur: Hamilton, Researches I, 276.

<sup>11)</sup> Aeschyl. Prom. v. 714 sqq. — Eurip. Ale. 980 sq. — Strab. l. l.

— Dionys. v. 767 sqq. — Catull. 66, 48 (ex Callimacho) — Verg. Georg. I, 58. — Ammian. XXII, 8, 21. — cfr. M. Duncker, Gesch. des Alterth., 4. Aufl., I, 393 sq.

Hoc promunturium videtur fuisse prope fluvium, cui nomen erat *Γένης*<sup>1)</sup> vel *Γένητος*<sup>2)</sup> vel *Γενήτης*<sup>3)</sup>: ex eo quidem, ut scholiasta ad II, 378 adnotat, illi nomen inditum erat: sine dubio igitur ab eo non multum aberat; ipsum Iovi sacrum fuisse e verbis poetae suspicari possumus, cum alii nihil de hac re dicant. Inde ad orientem vergebant Tibareni ab Apollonio *πολύρρηνες* dicti: hi igitur, aliter atque Chabybes, pastum videntur egisse.<sup>4)</sup> Praeterea poeta eis morem fuisse narrat, ut pro uxoribus mariti puerperio cubarent: etenim quasi ipsi partum eniterentur, gemebant et ab uxoribus, nimirum cum iam peperissent, cibo alebantur lavae risque fovebantur (II, 377, 1011—1016); eundem morem, quamvis, ut nobis quidem videtur, mirum atque ridiculum, etiam Hispanorum nationibus quibusdam et Corsis fuisse apud Strabonem<sup>5)</sup> et Diodorum Siculum<sup>6)</sup> lego: atque etiam hodie eum apud gentes barbaras saepius inveniri Oscarus Peschelius<sup>7)</sup> prodit: neque solum, ut Hansenius<sup>8)</sup> putat, eo consilio, ut mali daemones fallerentur, hunc morem ortum esse credo, sed etiam eo quod parti patri quoque quasi partem adimi cogitatio barbarorum hominum animos facillime subire potest, explicandum esse existimo. Apollonius quidem hanc narrationem ex auctore talium rerum satis, ut videtur, perito hausit: scholiasta enim ad hunc quem tractamus locum (II, 1010) adnotat eadem de Tibarenorum more illo tradita esse a Nymphodoro *ἐν τοῖς Νομίμουσι*; cum autem infra, ubi de Colchico more sepeliendi verba facit (ad III, 202), diserte dicat illo loco Nymphodori librum ab Apollonio exscriptum esse, idem etiam hoc loco factum esse ex argumentorum similitudine statui licet. Scripsisse videtur ille auctor, si modo Muellerus recte dicit<sup>9)</sup>, Ptolemaeo Philadelpho

<sup>1)</sup> Sophocl. ap. Steph. Byz. v. *Γενήτης*. — Schol. Ap. Rh. II, 378.

<sup>2)</sup> Anon. per. 32.

<sup>3)</sup> Strab. 548. — Steph. Byz. v. *Γενήτης*.

<sup>4)</sup> Cfr. de Tibarenorum ceteris moribus: Ephor. ap. Steph. Byz. v. *Τιβαρενία* — Mel. I, 106. — Scymn. v. 914 sqq. (Mueller). — Schol. Ap. Rh. II, 1010.

<sup>5)</sup> p. 165.

<sup>6)</sup> V, 14.

<sup>7)</sup> Völkerkunde p. 26 sq.

<sup>8)</sup> I. l. p. 23.

<sup>9)</sup> Hist. Gr. fr. II, 375 sqq. cfr. Hansen p. 25; apud Mueller. cfr. fr. 15—18.

regnante: vixit igitur non multo ante Apollonium. Praeter alios libros librum de moribus barbararum gentium confecit, qui inscribebatur *Nόμιμα Βαρβαρικά*, unde Apollonius illa deprompsit. Tibarenorum fines ab oriente Mossynoeici attingebant (II, 379, 1017), de quibus quae poeta narrat ab aliis auctoribus iterum atque saepius confirmantur.<sup>1)</sup> Habitabant illi in turribus lignis<sup>2)</sup> (v. 381 sqq., 1018 sq.), quo domorum genere etiam nostris temporibus illarum regionum incolas uti ex Iauberto<sup>3)</sup> et Hamiltono<sup>4)</sup> comperio; hae turres appellabantur *μόσσουνες*, unde ipsi *Μοσσύνοιχοι*, ut Graecis quidem videbatur, nominabantur (v. 383, 1019)<sup>5)</sup>: qua de re iam pauca dicam. Vocabulum *μόσσουν*<sup>6)</sup> Graecae originis non esse, sed ex ea voce, qua hae turres ab ipsa Mossynoeorum gente vernaculo sermone nominabantur, ad Graecum sermonem accommodatam esse, ex ipsis Apollonii versibus apparent, qui sunt (II, 381 sqq.):

*Δουρατέοις πύργοισιν ἐν οίκια τεκτήναντες  
χάλινα καὶ θαλάμους εὐπηγέας, οὓς καλέονται  
μόσσουνας* (sc. Mossynoeici ipsi) · *καὶ δ' αὐτοὶ ἐπόνυμοι  
ἐνθεν ἔασιν . . . ,*

et idem inde recte suspicari mihi videor, quod nullo fere alio loco nisi ubi de his huius gentis turribus sermo est, hoc vocabulo antiqui scriptores utuntur. Iam quaeritur de composito vocabulo *Μοσσύνοιχοι*, utrum Graeci ipsi demum vernaculum verbum *οἰκεῖν* cum illa barbara voce, postquam e Graecis rationibus mutata sit, coniunxerint an hoc quoque totum vocabulum e barbarie integrum in Graecum sermonem receperint, quantum potuerunt, mutaverint, non solum ad aures, sed etiam ad sensum ipsorum accommodaverint, ita ut id vocabulum iustum Graeci nominis speciem sibi induerit. Quae res facilis esset diiudicatu, si sciremus quo nomine haec gens se ipsa appellaret; in As-

<sup>1)</sup> Cfr. Mueller. ad Scyl. 86, ubi locos bene collectos invenies. Vocantur etiam Mossyni vel Massyni (Mel., Plin.).

<sup>2)</sup> Cfr. Vitruv. II, 1, 4: ubi exstruendi ratio exponitur. — Scymn. v. 900 sqq. — Strab. p. 549. — Mel. I, 106. — Diod. Sic. XIV, 30.

<sup>3)</sup> Reise durch Armenien etc. p. 51.

<sup>4)</sup> Researches I, 318.

<sup>5)</sup> Cfr. Strab. 549: *τῶν πύργων μοσσύνων λεγομένων*.

<sup>6)</sup> Cfr. Stephani thes. v. *μόσσουν*.

syriis titulis autem recensetur gens „Masnaka“, quae in eisdem fere regionibus, atque Mossynoeci, habitasse indicatur:<sup>1)</sup> „Masnaka“ ipsum nomen esse, quo illa gens se ipsa vocabat, veri simile est; voces „Masnaka“ et „Μοσσύνοιχοι“ inter se non ita discrepare, qui linguarum rationem habet earumque varias rationes respicit, vix negabit. Iam si statuamus illos quos Assyrii recensent Masnaka fuisse hos quos Graeci vocabant Mossynoecos, facere non possimus, quin hoc Graecorum vocabulum integrum ex illa barbara voce fluxisse censeamus. Sed rursus concedo vocabulum Μοσσύνοιχοι, etiam si vocabulum μόσσουν e barbarie ortum esse putemus, et forma et sensu ita ad Graecum sermonem quadrare, ut ab ipsis Graecis id non esse inventum et compositum contendere dubitem. Certe qui vocabulum Μοσσύνοιχοι nihil esse nisi vocabulum Masnaka Graeca specie induitum putat, ei quidem concedendum est mirum fuisse casum, quo factum est, ut barbara illius nominis forma ita mutari posset, ut fieret ipsum Graecum nomen appellativo sensu praeditum. Iam ad mores huius gentis tractandas redeamus. Rex in altissima turri sedebat ibique ius dicebat:<sup>2)</sup> erat autem in condicione admodum miserabili: nam si quam litem falso diiudicaverat, totius diei inedia puniebatur.<sup>3)</sup> Eadem de hac re, ut scholiasta ad II, 1029 monet, narraverant Ephorus et Nymphodorus, quorum hunc Apollonii auctorem fuisse supra vidimus: fortasse igitur etiam hunc νόμον βαρβαρικόν poeta ex eo dicerat. Omnino autem Mossynoecorum mores ab aliorum, ac potissimum eruditorum populorum moribus diversi erant: nam quae alii palam faciunt, illi clam faciebant, et quae apud alios occulte fiunt, apud illos aperte fiebant<sup>4)</sup> (II, 1020 sqq.): itaque etiam cum mulieribus palam coibant<sup>5)</sup>, quam ob rem poeta eos apte cum subus comparat (v. 1055 sqq.), cum dicit:

<sup>1)</sup> Kiepert, Lehrbuch der alten Geographie p. 95, Anm. 1.

<sup>2)</sup> II, 1028 sqq. cfr. Xenoph. Anab. V, 4, 26. — Diod. XIV, 30.

<sup>3)</sup> Mel. I, 106. — Scymn. v. 904 sqq. — Nicol. Damasc. fr. 126 (narrat regem inedia etiam interfectum esse).

<sup>4)</sup> Xenoph. Anab. V, 4, 34. — Scymn. v. 904. — Artemid. Onirocrit. I, 8.

<sup>5)</sup> Xenoph. Anab. V, 4, 33. — cfr. L. Buechner, Kraft u. Stoff<sup>s</sup>, p. 178 Anm. — Herod. III, 101 (*χατάπερ τῶν προβάτων*).

Οὐ δέ εὔνης αἰδὼς ἐπιδήμιος ἀλλὰ σύες ὡς  
φροβάδες, οὐδὲ ἡβαιὸν ἀτυχόμενοι παρεόντας,  
μίσγονται χαμάδις ἔννη φιλότητι γυναικῶν;  
quae postrema verba ἔννη φιλότητι γυναικῶν scholiasta<sup>1)</sup>,  
quasi hanc nationem a summae infamiae crimine defendere vellet,  
hoc modo interpretatus est: οὐχ ὡς αὐτῶν συνερχομένων ταῖς  
ἀλλήλων γυναιξὶ τοῦτο λέγει. Ἀλλὰ ἔκαστος τῇ ἑαυτοῦ φα-  
νερῶς. Quae explicatio nescio an Pomponii Melae verbis<sup>2)</sup> re-  
futetur, qui de Mossynis, quo nomine ipse Mossynoecos vocat,  
diserte dicit: „promisce concubunt et palam“: e vocabulo „pro-  
misce“ apparet apud eos feminas communes fuisse<sup>3)</sup>, id quod  
Apollonius quoque sine dubio verbis illis ἔννη φιλότητι γυναι-  
κῶν indicare voluit. Regio quam Mossynoeci incolebant, erat  
montuosa et silvestris<sup>4)</sup> (II, 379 sq., 1018); atque in ea erat mons,  
cui nomen erat Ιερὸν ὄρος: ut scholiasta (ad II, 1015) monet,  
hic mons in Pontum Euxinum porrigebatur atque a Trapezunte  
centum stadia aberat: egerant autem de eo Ctesias, Suidas,  
Agatho auctores; quorum quis fuerit Agatho, plane nescimus<sup>5)</sup>,  
Suidas a Strabone et Stephano Byzantio una cum Cinea, Pyrrhi  
legato illo, laudatur<sup>6)</sup>: unde statui licet eos eisdem temporibus  
vixisse. Etiam in periplus qui aetatem tulerunt illud Ιερὸν ὄρος  
commemoratur, atque a Trapezunte ad occasum versus centum  
quinquaginta quinque<sup>7)</sup>, aut centum quadraginta<sup>8)</sup> stadia distare  
dicitur; si autem ea quae in anonymo periplo<sup>9)</sup> et apud Xeno-  
phantem<sup>10)</sup> de finibus Mossynoecorum vicinarumque gentium le-  
gimus, respicimus et cum illo spatio conferimus, intellegimus hoc  
Ιερὸν ὄρος in Macronum, non in Mossynoecorum finibus situm  
fuisse.<sup>11)</sup> Apollonius igitur aut omnino nullos aut alias calculos

<sup>1)</sup> ad II, 1025.

<sup>2)</sup> I, 106.

<sup>3)</sup> Cfr. O Peschel, Völkerkunde p. 238 sq.

<sup>4)</sup> Cfr. Strab. 549.

<sup>5)</sup> Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 291, coniecit Ἀνδρῶν, de quo supra dixi.

<sup>6)</sup> Mueller, ibid. II, 464 sq.: fr. 1, 3, 5, 6.

<sup>7)</sup> Arr. per. 24.

<sup>8)</sup> Anon. per. 36 sq.

<sup>9)</sup> 35.

<sup>10)</sup> An. V, 4, 1 sq. (secundum Xenoph. Mossynoeci incipiebant a Cerasunte, secundum illum a Pharnacia demum: vergebant inde ad occasum).

<sup>11)</sup> Cfr. Anon. per. 37. — Schol. Ap. Rh. II, 1015: . . . καὶ Σονίδας  
ἐν β' περὶ τὸν λεγομένον Μάχωνας. cfr. Hansen p. 23.

posuit: nam duos montes fuisse quibus idem illud nomen inditum fuisse, unum in Mossynoecis, alterum in Macronibus, vix quisquam contendet. Contra eam quam Mossynoei incolebant orae maritimae partem erat Aretias insula i. e. Martis insula (II, 384, 1032 sq., 1049, 1118 sq.).<sup>1)</sup> Ibi Argonautae aves Stymphalides ab Hercule ex Arcadia depulsas atque illuc transgressas narrantur offendisse. Atque de hac Stymphalidum fabula satis multos scholiasta (ad II, 1031, 1052) enumerat egisse auctores, inter quos nomino Phercydem, ex quo Apollonium complura de Amazonibus mutuatum esse supra exposuimus, et Timagetum<sup>2)</sup>, cui item poetam nonnulla debuisse infra videbimus. Insula enim ipsa etiam ad Amazonum res pertinuisse videtur, cum templum Martis, quod in insula inde ipsa nominata erat, ab illis conditum esse fabula esset (II, 387 sqq., 1172 sqq.): atque dicebantur illae neque oves neque boves, sed equos deo immolasse (v. 1179). Inde aliam insulam, quae vocatur Philyreis, heroes praetervehuntur (II, 1234): de qua poeta nihil dicit nisi Saturnum, cum ibi cum Philyra clam concumberet, a Rhea uxore deprehensum esse; ab illa Areitiade, ut ex itinere Argonautarum patet, ad orientem haec Philyreis vergebant<sup>3)</sup>; atque ipsa sine dubio ad gentem Phlyrum pertinebat, quam quamquam Phineus recensens supra (II, 395) inducit, infra poeta plane omittit: ex illo autem loco qui est:

*Nήσου δὲ προτέρωσε καὶ ἡπείροιο περαῖς  
φέρονται Φίλυρες . . .*

comperimus illos habitasse ab Areitiade insula et adversa contentis ora ad orientem versus, atque ex ipsis verbis quidem colligendum opinor poetam eis non solum insulam Philyreidem — quae sedes admodum angusta fuisse —, sed etiam contrariae orae partem tribuisse<sup>4)</sup>; videntur igitur Mossynoecos ab oriente

<sup>1)</sup> Plin. VI, 32. — Arrian. per. 24. — Anon. per. 36. — Schol. Ap. Rh. II, 382. — Hamilton I, 262, et mapp. vol. II. — Kiepert, Atlas v. Hellas t. XVIII.

<sup>2)</sup> Mueller, Hist. fr. IV, 519 fr. 4.

<sup>3)</sup> Cfr. Hamilton I, 261 sq. et mappam in vol. II: Hamiltonus posuit eam duo millia Anglicæ a Cap Zefréh distantem ad occasum versus.

<sup>4)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. II, 392: Hansenum, qui aliter censem, errasse puto.

excepisse: id quod Dionysius confirmat, qui ab oriente ad occasum progediens enumerat (v. 766):

*Μάκρωνες Φίλνοες τε καὶ οἱ μόσσυνας ἔχοντιν . . . ,*  
 cum Valerius Flaccus<sup>1)</sup>), Ammianus Marcellinus<sup>2)</sup>), Orphicorum auctor<sup>3)</sup> plane turbatum harum gentium ordinem praebeant. Tum breviter recensentur Macrones, Bechires, Sapires, Byzeres (II, 395 sqq., 1245 sqq.): hae gentes non minus saepe quam illae, de quibus modo diximus, ab auctoribus antiquis, potissimum a geographis commemorantur; ordinem vero earum alias alium exhibit<sup>4)</sup>: saepius quidem hoc vel illud nomen omittitur, aliud inseritur; quis igitur recte dicat, in tali discrepantia et confusione diiudicari vix potest. Fortasse etiam re vera commutationes terminorum et sedum — id quod in feris gentibus minime mirum videtur — per tempora factae sunt. De Sapiribus autem nescio an poeta erraverit, quod eos orae maritimae accolas fuisse putavit: ii enim Ponti litus omnino non attigisse, sed mediterranea Armeniae loca videntur incoluisse.<sup>5)</sup> Denique quod Bechirum φῦλα περιώσια (v. 396) et γαῖαν eorum ἀπειρεσίην dicit (v. 1245 sq.) atque Sapires ὑπερφιάλονς (v. 1246) appellat, poetae magis quam geographo tribendum esse vix est cur moneam. Iam dum heroes sequimur, tandem ad Colchidem pervenimus (II, 1264, 1280).<sup>6)</sup> Priusquam huius regionis descriptionem perlustremus, moneam in hac ipsa nos lueulentissime Apollonii rationem perspicere et cognoscere posse: hic enim falsa et vera ita inter se commiscent, ut quae ad fabulas, quae ad veritatem pertineant, interdum diiudicare vix possimus. Neque enim solum is, ut videtur, fabulas, quae de Aeete, de fuga Phrixi, de Iasonis Medeaeque amore, de tauris aeneis, de aureo vellere

<sup>1)</sup> Argon. V, 151 sqq.

<sup>2)</sup> XXII, 8, 21.

<sup>3)</sup> v. 756 sqq. cfr. Steph. Byz. *Φίλνοες*.

<sup>4)</sup> Cfr. Mueller ad Scyl. 82, ubi omnia collecta sunt: Hecat. fr. 190.

— Plin. VI, 4. — Dionys. 765. — Mel. I, 107. — Valer. Fl. V, 151 sqq.

— Orph. Arg. 756. — Ammian. XXII, 8, 21; cfr. Strab. 549. — Anon. per. 37 sqq.

<sup>5)</sup> Herod. I, 104; IV, 37, 40. — Steph. Byz. v. *Σάπειρες*.

<sup>6)</sup> Cfr. II, 398. — Scyl. 81 sq. (de ordine gentium). — De Colchide v. Ukert., Geogr. d. Gr. u. R. III, 2, 505 sqq.

traditae atque multo ante eum ad has regiones translatae ibique quasi collocatae erant<sup>1)</sup>, ex hoc vel illo libro deprompsit, sed etiam eos auctores adiit, qui fabulis neglectis veras res de illis regionibus incolisque enarrare studuerant. Conemur autem omnia quae poeta exponit colligere et in iudicium vocare. Ad dextram (II, 1269 sq.) Phasidis fluvii ripam sitam esse dicit Aeam, urbem Aeetis regis (II, 405): hanc regionem non solum Ponti (II, 1264)<sup>2)</sup>, sed etiam orbis terrarum extremam esse (II, 419 sq.): omnem regionem vocat Colchidem (II, 1280; III, 313; IV, 132), incolas Colchos (III, 1274; IV, 212, 236, 303, 314, 335 etc.); videmus igitur quomodo Apollonius nomina ficta et vera inter se confundat: Aea urbs omnino non erat:<sup>3)</sup> erant Colchi et Colchis. Et regionem (II, 401) et urbem (II, 1270) appellat Cytaeidem ex Cyta sive Cytaea urbe vere ibi sita<sup>4)</sup>, aequa atque Aeetem dicit Cytaeum (II, 1096) vel Cytaeum (II, 405; III, 228). Praeterea urbem vocat et e gente Colchidem (II, 419) et Titenedem (IV, 131) e fluvio Titene, quem Eratosthenes, ut scholiasta ad IV, 131 adnotat, ἐν Γεωγραφικοῖς commemoraverat. Situm Aeae urbis satis accurate Apollonius indicat: ab ostio Phasidis et a mari non multum abest, ut e verbis Phinei patet ad Argonautas dicentis: (II, 404 sq.):

*Κείνου νῆ ἐλάσστες ἐπὶ προχοὰς ποταμοῦ (sc. Phasidis) πύργους εἰσόψεσθε Κυταιέος Αἰγαῖοι:*

per flumen igitur heroes aliquantum navigant (II, 1267 sq.; IV, 210 sq., 225 sqq.), dum ad urbem perveniant, quae, ut supra dixi, ad dextram ripam sita est. Inter urbem autem et eum ripae locum, ad quem illi navem alligaverunt, est Circaeus campus (II, 402; III, 198 sqq.), consitus arboribus, quibus Colchi ad mortuos sepeliendos utebantur (III, 200 sqq.): ii enim feminas tantum humabant mortuas, marium corpora pellibus involuta ad

<sup>1)</sup> Cfr. Ukert. l. l. p. 513. — Herod. I, 2. — Xenoph. Anab. V, 6, 36 sq. — Euripid. Med. 2.

<sup>2)</sup> Cfr. II, 400. cfr. schol. Ap. Rh. II, 397.

<sup>3)</sup> Cfr. Mueller ad Seyl. 81.

<sup>4)</sup> v. Ukert l. l. Anm. 58. cfr. Mueller l. l.: „Quatenus autem subest memoria urbis, quae re vera exstitit, Aea non est diversa ab urbe Κύτη vel Κύτα vel Κύταια, quae nomina sive de urbe sive de regione, Medeae patria apud poetas celebrantur.“

arborum ramos deligabantur ibique putrescebant:<sup>1)</sup> hic mos videtur eo ortus esse quod, ut scholiasta prodit (ad III, 202 et 714), Colchi Uranum et Gaeam, caelum et terram, maxime colebant, quos ad deos etiam iurare solebant, atque ideo institutus esse, ut utrique deo aequa pars mortuorum obveniret: feminae credebantur redire ad Terram deam feminam et matrem, mares ad Aethera deum marem et patrem. Hunc morem e Nymphodoro, ut supra dixi, poeta cognovit: quaeri potest, num etiam campi Circae notitiam eidem debuerit; quae res dubia est: esse in Colchis campum Circaeum Timaeus confirmaverat, ut scholiasta ad II, 399 narrat. Attamen nomen quidem campi, quod est a Circe derivatum<sup>2)</sup>, maxime ad fabulas spectat. Fortasse autem rem eo explicare possumus, quod statuimus a Colchis vernaculo sermone hunc campum simili nomine vocatum esse, quod Graeci facile in suum nomen mutare possent, praesertim cum hoc nomen ad fabulas de his regionibus traditas aptissimum videretur. Ab urbe tantum quantum meta a carceribus, (III, 1270) aberat atque ad Caucasum i. e. ad septentrionem vergebatur campus Martius (III, 409, 1269; II, 1271), in quo agon Iasonis factus est. Ad ipsum campum (II, 1271; III, 1356) erant fanum et nemus Martis, ubi aureum vellus asservabatur (II, 406 sq.): ab hoc nemore ad fluvii ripam, ut videtur, porrigebatur pratum (IV, 114 sqq.), cui nomen erat *Κριοῦ εὐναῖ*, quod ibi aries, quo Phrixus vectus erat, e longo itinere requievisse dicebatur. Quorum locorum notitiam cui poeta debuerit, scholiasta non exponit: affirmat autem multos fani et campi Martii mentionem fecisse his verbis (ad II, 404): *τοῦ δὲ ἐν Κόλχοις λεγομένου Ἀρείου πεδίον καὶ τοῦ αὐτόθι Ἄρεος τεμένους μέμνηται πολλοί*: etiam illum locum *Κριοῦ εὐναῖ* vocatum confirmat fuisse (ad IV, 115) *ἐν Κόλχοις, ὅπου πρῶτον τὸν Φοίξον κομίσας ὁ χριός ἀνεπαύσατο*, sed utrum haec e poeta an e geographo cognosceret, dicere oblitus est: attamen multum nostra interest scire, utrum poetae tantum hunc locum finxerint, ut Phrixi fa-

<sup>1)</sup> Similia tradunt Aelian. Var. Hist. IV, 1, Sil. Ital. XIII, 486, alii. — cfr. Th. Waitz, Anthropologie III, p. 201 sq., qui similem morem apud Indianos Americanos esse dicit.

<sup>2)</sup> Schol. Ap. Rh. II, 399. cfr. Strab. p. 232 (*Κιρκαῖον ὄρος Italiae*).

bulam illustraverint an re vera in illis regionibus talis campus herbidus fuerit, cui coloni Graeci illud nomen e fabula ad ipsas has regiones pertinenti repetitum indiderant. Dilucide ad geographos spectant ea quae de Phaside fluvio poeta exponit: defluit enim ille ex Amarantis montibus (II, 401 sq.), unde ipse Amarantius vocatur (III, 1219), atque ex Araxe partem, cui est nomen Lyeus, recipit (IV, 132), quocum coniunctus in *Kαυκάσην ἄλα* influit (IV, 135): hoc nomine Apollonius appellat eam Ponti Euxini partem, quae radices Caucasi alluit, non ut scholiasta censem, mare Caspium διὰ τὸ συνάπτειν τῷ Καυκάσῳ (ad IV, 131): qui scholiastae error fortasse eo ortus est, quod de Araxis cursu in illud mare influentis cogitavit.<sup>1)</sup> Quae de fluviorum amborum coniunctione narrantur, sine dubio e geographo aliquo hausta sunt, qui accuratiorem notitiam harum regionum nondum habuit.<sup>2)</sup> Simili modo Apollonium Rhodani et Eridani sive Padi cursus inter se coniunxisse infra demonstrabimus. Amarantos montes in Colchis fuisse scholiasta (ad II, 399) exponit atque Ctesiae testimonium affert:<sup>3)</sup> sunt tamen paene ignoti. Accedit, quod alii Phasin in Armeniis montibus, oriri produnt<sup>4)</sup>; quam discrepantiam Oberlinus<sup>5)</sup> expedire vult, cum dicit: „Quid si catena tota montium Amarantiorum nomine venerit, cuius pars ea, quae Phasin effundit, dicta Armenion?“ Quae num recte disputata sint in medio relinquamus. A septemtrione (II, 1269 sq.) et ab oriente (III, 1222 sq.) conspiciuntur Caucasi cacumina altissima et nive nitentia: quae descriptio cum prorsus ad verum inferioris Phasidis cursus situm quadret<sup>6)</sup>, rursus ad fabulas pertinent Promethei Caucaso affixi cruciatus atque dira nex Typhaonis in hoc saltu prope Typhaoniam rupem Iovis fulmine

<sup>1)</sup> Caspias conchas poeta III, 858 commemorat: cfr. schol. ad h. l.

<sup>2)</sup> Fortasse Cyri fluvii cursus errorem moverat: v. Kiepertii Atl. ant. t. II.

<sup>3)</sup> . . . ὅτι δὲ τὰ Ἀμαραντὰ ὅρη ἐστὶ Κόλχων ἵστορεῖ Κτησίας ἐν β' . . . cfr. Vib. Sequestr. p. 16 ed. Oberl., p. 150 ed. Riese. — Steph. Byz. v. Ἀμαραντοῦ. — Schol. Ap. Rh. l. l. et III, 1220. — Cfr. Lentz, Herod. rel. praef. p. 217.

<sup>4)</sup> Hessel ad Vib. Sequ. l. l.

<sup>5)</sup> ad Vib. Sequ. p. 165.

<sup>6)</sup> Cfr. tabul. geogr.

iecti (II, 1213 sqq., 1250 sqq.).<sup>1)</sup> Denique de incolis pauca addenda sunt. Quod Apollonius Colchorum originem ab Aegyptiis deducit Aeamque urbem a rege quodam illorum conditam esse narrat (IV, 272 sqq.), minime miramur, cum reputamus hanc apud antiquos vulgatam fuisse sententiam.<sup>2)</sup> Praeter Colchos poeta Sauromatas (III, 353) commemorat, quos illorum hostes esse tradit (III, 394): fortasse igitur eos illorum finitimos esse animo cogitavit.<sup>3)</sup>

Nunc redditum Argonautarum consideraturi Ponti oras meridianas, quas ex Apollonii carmine satis accurate cognovimus, relinquamus et ad loca longe ab illis remota transeamus. Primum quidem quae de Istro poeta prodit perlustremus.<sup>4)</sup> Atque duo sunt loci, qui ad huius fluminis descriptionem pertinent: IV, 282—293 et 323—326, quos versus, cum summi momenti sint, hic adponam:

*"Εστι δέ τις ποταμός, ὑπατον κέρας Ωκεανοῖο,  
εὐρύς τε προβαθής τε καὶ ὀλκάδι νηὶ περῆσαι:  
Ἴστρόν μιν καλέοντες ἔκας διετεκμήραντο·  
δος δή τοι τείως μὲν ἀπειρονα τέμνετ' ἄρονραν  
εἰς οἶος· πηγαὶ γὰρ ὑπερ πνοιῆς βορέαο  
Ριπαῖοις ἐν ὁρεσσιν ἀπόπροθι μορμύρονσιν.  
ἄλλ' ὅπότ' ἀν Θρῆκον Σκυθέων τ' ἐνιβήσεται οὔρονε,  
ἐνθα διχῇ τὸ μὲν ἐνθα μετ' Ἰονίην ἄλλα βάλλει  
τῆδ' ὑδωρ, τὸ δ' ὅπισθε βαθὺν δια κόλπον ἵησιν  
σχιζόμενος πόντου Τρινακρίου εἰσανέχοντα,  
γαίη δος ὑμετέρη παρακέκλιται, εἰ ἐτεὸν δὴ  
ὑμετέρης γαίης Αχελώιος ἐξανίησιν. —,*

et infra

*αὐτὰρ ἐπεὶ τ' Ἀγγονδον ὄρος καὶ ἀπωθεν ἐόντα  
Ἀγγούρον ὄρεος σκόπελον πάρα Κανιλακοῖο,*

<sup>1)</sup> Cfr. III, 851 sqq.

<sup>2)</sup> Herod. II, 104 sqq. — Strab. p. 498. — Ukert, l. l. p. 509 sq. — Brehmer, Entdeckungen im Alterthum, Weimar 1822, I, p. 354 sqq.

<sup>3)</sup> Cfr. Ukert, Geogr. III, 2, 322.

<sup>4)</sup> Cfr. Mannert, Geogr. d. Gr. u. R. IX, 1, p. 45 sqq. — Ukert, Geogr. d. Gr. u. R. III, 1, 146 sqq. — Brehmer, Entdeckungen im Alterthum II, p. 402 sqq. — Mueller ad Scyl. 20.

ῳ πέρι δὴ σχίζων Ἰστρος δόου ἐνθα καὶ ἐνθα  
βάλλει ἄλις, πεδίον τε τὸ Λαύριον ἡμείραντο, —.

Et primum quidem si posteriores versus respicimus, e verbis ἐνθα καὶ ἐνθα<sup>1)</sup> intellegimus Istrum in duas partes dividi: atque quo effluant hae duae partes, ex ipsa itineris narratione discimus; Paphlagoniae enim ora relictā (IV, 245, 299 sqq.) Argonautae per Pontum Euxinum navigant, ἧς Ἰστροιο μέγαν δόου εἰσαγήκοντο (IV, 302): ergo una pars huius fluminis in Pontum influit: atque, ut Apollonius quidem narrat, influit duobus ostiis, quae vocat *Καλόν* et *Νάρηκος στόμα* (v. 305 sqq.). Iam per hoc os Argonautae fluvii cursum intrant, cum Colchi Apsyrtō duce per illud navigent (v. 306, v. 313 sqq.): quod autem *Καλὸν στόμα* a meridie, *Νάρηκος στόμα* a septemtrionibus est, Apsyrtus, quamquam Argonautas persecutur, tamen prius — venit enim aequē atque illi fere e meridie — in flumen invehitur, quam illi, qui longiore itinere ad remotius ostium proficiuntur. Itaque Apsyrtus illos praevenit et, cum illi demum ad eum fluminis locum perveniunt, ubi ἐνθα καὶ ἐνθα i. e. in duas partes dividitur, atque ex una in alteram partem transeunt, iam ex altera parte in *Κρονίην* ἄλα (v. 327), quo nomine Apollonius, ut scholiasta adnotat, Hadriam vocat<sup>2)</sup>, provehitur, atque undique vias praecludit, dum illi ὅπιθεν fluvio secundo devehuntur (v. 329): fit igitur, id quod poeta supra (v. 307 sqq.) indicavit verbis:

*Τῷ καὶ ὑπέρθη τούσῃ βαλὼν ὑπερ αὐχένα γαῖης  
κόλπον ἔσω πόντοιο πανέσχατον Ιονίοιο* (sc. Apsyrtus):

ex tota narratione autem apparet alteram Istri partem secundum Apollonium in Hadriam influere.<sup>3)</sup> Nunc ad illos versus (v. 282 sqq.) accedamus, quos Argus dicens inducitur: quae verba si interpretari volumus, primum quaerimus, quae sit *Ιονίη* ἄλις, tum quis sit *κόλπος πόντον Τοιναχίον εἰσανέχων* intellegendus, denique quid in hoc rerum conexu sibi velit Acheloi commemoratio. *Ιονίην* ἄλα a poeta intellegi sinum Hadriaticum, eum quem Graeci *Τόνιον κολπον* vocabant, e IV, 630 apparent, ubi

<sup>1)</sup> Cfr. IV, 289: διχῆ: quae vocabula Ukertus, Geogr. III, 1, 147 omnino non respexisse videatur.

<sup>2)</sup> Cfr. IV, 509, 546.

<sup>3)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. IV, 308, 321.

una pars Rhodani, quae ex eo in Eridanum, quem esse Padum infra videbimus, immittitur, per huius alveum μετ' Ἰονίην ἄλα fluere dicitur.<sup>1)</sup> Deinde πόντον Τρινάκτιον poeta nominavit ex insula Trinacia, quae est eadem atque Sicilia: intellegendum autem est mare, quod est ad Trinacriam sive Siciliam; atque scholiasta spectare videtur ad mare Tyrrhenum (ad IV, 284 et 291): sed equidem e IV, 292 verbis γαῖη δὲ νῦμετέον παραχέκλιται sentio dici de Ionio mari, quod est inter Siciliam et Graeciam et cuius pars meridiana mare Siculum appellabatur.<sup>2)</sup> Sinus autem huius maris quem poeta εἰσανέχοντα dicit (v. 291) nihil nisi sinus Hadriaticus sive Hadria esse potest: at hunc ipsum iam voce Ἰονίη ἄλς significavit Apollonius! Quid quod ea fluminis pars, quam in Pontum Euxinum influere ex ipsa poetae narratione modo cognovimus, hoc loco plane omittitur! At vero huius ipsius mentionem fieri hoc ipso loco quam maxime oportebat; argumentum enim hoc est: poeta Argum de reditu in Graeciam disserentem facit (IV, 256 sqq.), dum Argo navis iam in Ponto est (v. 245): exponere autem ille studet, qua altera via — illam enim quae est per Cyaneas Bosporumque Argonautae vitare volunt — navis e Ponto exire possit; atque haec altera via est per Istrum in Pontum effluentem: sed Argi verbis haec ipsa res minime indicatur. Qua causa Gerhardium<sup>3)</sup> commotum esse video, ut v. 289 pro vocabulo Ἰονίην scriberet ἡρόην, quo nomine Apollonius, ut supra demonstravimus, II, 747 Pontum Euxinum appellat. Quam coniecturam si recipimus, omnes difficultates removentur: et enim mentio Ponticae Istri partis fit, quam e rerum conexu disideramus, et tota ratio ad v. 325 sq. et ipsius itineris narrationem quadrat, cum una fluvii pars in mare orientale i. e. in Pontum, altera in sinum maris Siculi vel Ionii i. e. in Hadriam influere dicatur. Praeterea si Gerhardii sententiam probamus, verba τῆδ' et γαῖη δὲ νῦμετέον παρα-

<sup>1)</sup> Merkelii sententiam partem occidentalem Ponti Euxini esse Ἰονίην ἄλα putantis, ipso hoc loco IV, 630 plane refutari censeo. (cfr. Merkel. ad II, 745).

<sup>2)</sup> Insp. Kiepertii tabulas geogr.

<sup>3)</sup> Lectiones Apollonianaes. Lips. 1816. p. 80 sq.; alteram mutationem v. 308 plane repudio, quod hoc loco sensum ille non recte intellexit.

*κέκλιται* non solum ad rationes geographicas apte spectare, sed etiam optime inter se respondere sentimus: hoc enim ad eum locum pertinet quo Argonautae, tum cum Argus dicit, commorantur, scilicet in Ponto, — illa verba ad eorum patriam spectant, quo iam reverti student: his verbis igitur via diserte indicatur. Quae cum ita sint, censeo poetam v. 289 scripsisse μετ' ἡρῷην vel ἡοίην<sup>1)</sup> ἄλα βάλλει atque corruptelam eo ortam esse, quod verba μετ' Ιονίην ἄλα e versu IV, 630, sine dubio a viro docto, propter elocutionis similitudinem comparandam margini adscripta ab homine minus perito, cum meliorem lectio- nem illam esse crederet, in textum recepta sunt. Denique de Acheloi fluvii commemoratione pauca dicam: ex hac quidem re scholiasta Apollonii<sup>2)</sup> et Ukertus<sup>3)</sup> statuerunt Acheloum ex Istro nascentem hic a poeta induci: at equidem eum tale quid dicere non invenio: en verba Apollonii (IV, 292 sq.):

. . . εἰ ἐτεὸν δὴ  
ὑμετέρης γαῖης Ἀχελώιος ἔξανίσιν;

video autem ex falsa interpretatione illorum errorem ortum esse: referunt enim illi verba illa ad totam descriptionem alterius Istri partis, de qua sunt verba (v. 290. sq.) τὸ ὅπισθε βαθὺν διὰ κόλπον ἵησιν σχιζόμενος πόντον Τριακοίου εἰσανέχοντα: sed hoc falsum esse intellegimus si verborum responsionem respicimus, quae est in γαῖῃ ὑμετέρῃ et ὑμετέρης γαῖης, quorum vocabulorum coniunctio totum sensum exprimit: est igitur haec Acheloi mentio ad enuntiatum relativum γαῖῃ δὲ ὑμετέρῃ πα-ρακέκλιται referenda, minime ad Istri alveos spectat. Accedit quod tale quid de Acheloi origine apud antiquos scriptores nusquam legimus: immo vero iam Hecataeus<sup>4)</sup> superiores huius fluvii cursus satis accurate videtur novisse. Quid Apollonius? num quis censem eum tales nugas de fluvio tum certe Graecis notissimo prodere ausum esse? Neque capere possum, qua ratione inductus poeta illam quam Ukertus ei tribuit miram

<sup>1)</sup> v. Gerhard. l. l.

<sup>2)</sup> ad IV, 293 . . . ἀναπιδένειν φησὶν οὖν τὸν Ἰστρὸν εἰς τὸν Ἀχε-λῷον διὰ τὰς πηγὰς αὐτῷ παρέχεσθαι.

<sup>3)</sup> Geogr. d. Griechen u. Römer III, 1, p. 147 sq.

<sup>4)</sup> fr. 70—72 Mueller: cfr. Pauly Real-Encyclop. v. Achelous.

halucinationem excogitaverit: nam ad viam reditus Argonautarum constituendam ea opus non erat, cum Apollonius, ut infra videbimus, in hac re Timageti sententiam reciperet, qua iam certa via definita erat, qua per Istri partes duas illas heroes e Ponto in Hadriam ducebantur. Quoniam Ukerti scholiastaeque sententias refutavi, nunc qua equidem hanc Acheloi commemorationem explicandam esse censem, paucis verbis exponam. Spectant, ut supra demonstravi, haec verba *εἰ ἐτεὸν δὴ ὑμετέρης γαῖης Ἀχελώιος ἔξαντίσιν* ad enuntiatum relativum *γαῖῃ ὅς ὑμετέρης παραπέκλιται*, quod ipsis illis verbis quasi argumento confirmatur, quamquam forma condicionalis enuntiati eis est: hoc modo igitur Argi sententiam enucleamus: „Altera, inquit, pars Istri immittitur in sinum maris Trinacrii, i. e. Siculi, quo e sinu — haec subaudienda sunt — nimirum in ipsum mare Trinacrium pervenire possumus: hoc autem mare iam ad Graeciam, vestram patriam esse cogitandum est, si modo Achelous — quem fluvium, cum eum quippe qui sit *τῶν τῆς Ἐλλάδος ποταμῶν τῶν ἄλλων διαπρεπέστατος*<sup>1)</sup>), bene sciam, in ipsum illud mare influere cognovi — e patria vestra profluit: — audivi enim eum esse Graecum fluvium; si autem illud mare ad Graeciam est, per illud ad hanc patriam vestram pervenire possumus“ —: id quod, ut infra legimus (IV, 574 sq.), re vera factum esset, nisi tempestate exorta heroes repulsi essent. Videtur igitur eo consilio poeta Acheloi mentionem facere, ut viam dilucide indicet. Iam ad Istrum revertamur, quem, ut demonstrasse mihi videor, Apollonius in duas partes dividi narrat, quarum una in Pontum, altera in Hadriam influit. Quae sententia quamvis falsa tamen nobis minime mira videtur, si reputamus quarto a. Chr. n. saeculo eam a viris doctis probatam esse<sup>2)</sup>: testes sunt Theopompus<sup>3)</sup> et Aristoteles<sup>4)</sup>, Scylax<sup>5)</sup>. Num autem etiam Apollonii aetate ea viguerit atque, id quod scire plurimum nostra interest, Era-

<sup>1)</sup> Verba schol. Ap. Rh. IV, 293.

<sup>2)</sup> Cfr. H. Berger, Die geograph. Fragmente des Eratosthenes, p. 347 sqq. — id., Geschichte der wissenschaftl. Erdkunde bei d. Gr. II, p. 61. — Ukert, l. l.

<sup>3)</sup> ap. Strabon. p. 317.

<sup>4)</sup> Hist. anim. VIII, 15.

<sup>5)</sup> § 20.

tosthenes idem atque illi de hac re senserit, dubium est.<sup>1)</sup> Apollonius sua, ut scholiasta ad IV, 259 et 284 diserte adnotat, e Timageto<sup>2)</sup> deprompsit, qui quibus temporibus vixerit plane nescimus, nisi quod Apollonio eum antiquorem esse ex ipsis illis scholiis discimus: scripsit autem librum de portibus, *περὶ λιμένων*, in quo tamen fluvios quoque descriptsse videatur, ut ex illis scholiastae verbis suspicari possumus. Sed utrum in hoc libro, qui sine dubio, ut quidem e titulo statuere possumus, ad veram geographiam spectabat, obiter tantummodo, cum ipsam hanc Istri rationem ad fabulas accommodaverit, commemoraverit Argonautas per illas Istri partes duas in patriam redisse an accuratiorem de hoc reditu narrationem iam exhibuerit, dijudicare non possumus: neque minus incertum esse puto, num primus Timagetus hanc opinionem ostenderit Argonautas per Istrum redisse: ac ne illud quidem penitus scimus, quando sententia Istrum in duas partes illas dividi exstiterit, quando obsoleverit: quinto a. Chr. n. saeculo nondum ea videtur fuisse; nam Herodotus, quamquam satis multa verba de Istro facit<sup>3)</sup>, de hac re nihil dicit; post Apollonium Hipparchus opinionem iam retinuit:<sup>4)</sup> atque etiam Cornelium Nepotem in eodem errore perseverasse e Plinio cognoscimus<sup>5)</sup>: Strabo<sup>6)</sup> tandem lumen rei attulit, veritatem patefecit, illorum opiniones redarguit: sed iam Polybius de Istro et de regionibus, quae sunt inter Pontum et Hadriam, sententiam exhibuerat, quae ab Apollonii opinione maxime abhorruit.<sup>7)</sup> Iam reliqua consideremus, quae poeta de Istro fluvio prodit: atque oritur in Rhipaeis montibus, qui ad ultimas septentrionis plagas vergunt (IV, 286 sq.): quam notitiam Apollonius, ut scholiasta ad IV, 284 monet, ex Aeschylo hausit, qui *ἐν Αὐ-*

<sup>1)</sup> Cfr. H. Berger, Die geogr. Fragm. d. Eratosthenes l. l., qui subtilissime de hac re egit.

<sup>2)</sup> Cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 519 sq. fr. 1—5.

<sup>3)</sup> II, 33; IV, 47—50; 89.

<sup>4)</sup> Cfr. Strab. 57: ... *κοινὴν δέ τινα τῶν πρὸ αὐτοῦ τισιν ἄγνοιαν ταύτην ἡγνόησεν*. cfr. H. Berger, die geogr. Fragm. d. Hipparch p. 89 sq. — Ukert, Geogr. III, 1, 148.

<sup>5)</sup> N. H. III, § 128.

<sup>6)</sup> l. l., p. 317.

<sup>7)</sup> Berger, Eratosth. p. 349. (Strab. 313 et 317.)

*μένων Προμηθεῖ* idem narraverat; est autem flumen altissimum et latissimum<sup>1)</sup> et quod navi oneraria lustrari potest (v. 283); in confiniis Thracum et Scytharum in illas duas partes dividitur (v. 288 sq.): prope hunc locum situs est σκόπελος *Καυλιακοῦ* (v. 324 sq.): cuius montis etiam Polemonem ἐν *Κτίσει Ἰταλικῶν καὶ Σικελικῶν* mentionem fecisse e scholio ad IV, 324 comprehendimus; cum autem ille aetate paulo minor quam Apollonius sit, — est enim aequalis Aristophanis grammatici<sup>2)</sup> — ad ipsius poetae fontem investigandum scholium illud non valet. Stephanus Byzantius<sup>3)</sup> commemorat gentem Caulicorum, quam κατὰ τὸν Ἰόνιον χόλπον habitare et e monte illo nomen accepisse dicit; sine dubio igitur in eorum finibus ille mons situs erat: unde qua fere in regione Istrum dividi antiqui sibi cogitaverint, coniicere possumus. Ab Cauliaco monte longe abest mons Angurus item ad Istrum situs (v. 323 sq.): quem cum ante illum heroes praetervehantur, magis ad inferiorem fluminis partem et quae in Pontum influit, spectasse sentio: mentionem eius fecit, ut scholiasta (ad IV, 324)<sup>4)</sup> monet, Timagetus ἐν Λιμέσῃ, a quo Apollonium eum cognovisse veri simile est. Contra prope abest a Cauliaco scopulo et eo ubi Ister dividitur loco<sup>5)</sup> campus Laurius (v. 326), quem Sindi incolunt (v. 321 sq.): quam gentem alii omnes<sup>6)</sup> ad Maeotidem paludem habitasse produnt. Praeter eos commemorat poeta Graucenios, Sigynnos, Scythes cum Thracibus mixtos (v. 320 sq.): quae nomina unde hauserit incertum est; scholiasta dicit (ad IV, 321) Timonactem ἐν πρώτῳ περὶ Σκυνθῶν quinque et quinquaginta gentes enumerasse, inter quas etiam illae ab Apollonio recensitae fuisse videantur: ille auctor<sup>7)</sup> praeter hunc locum bis a scholiasta laudatur (ad III, 1236, et IV, 1217), cuius e verbis appetet illum nonnulla ad Argonauticas fabulas pertinentia enarrasse: sed haec tria fragmenta tan-

<sup>1)</sup> Cfr. Herod. IV, 48.

<sup>2)</sup> Mueller, Hist. Gr. fr. III, 126: fr. 38.

<sup>3)</sup> v. *Καυλικοῦ*.

<sup>4)</sup> fr. 3. Muell.

<sup>5)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. IV, 321.

<sup>6)</sup> Herod. IV, 28. — Scyl. 72. — Hellanic. ap. schol. Ap. Rh. IV, 321.

— Mel. I, 110 sq. — Strab. 495. — Dionys. 681. — Arrian. per. 28 sq.

<sup>7)</sup> Cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 522: fr. 1—3.

tum servata sunt, atque quibus temporibus ille floruerit, plane ignoramus. Quod Apollonius Seythas cum Thracibus mixtos commemorat, ad versum 288 (IV) sine dubio spectat, ubi Ister has gentes inter se dividere dicitur. Trans Istrum habitare Sigynnas Herodotus<sup>1)</sup> tradit, quos ab his quos poeta Sigynnos vocat non diversos fuisse statuere licet; Strabo<sup>2)</sup> rursus Siginos mare Caspium accolere contendit; Graucenii plane ignoti sunt. In Pontum Euxinum Ister duobus capitibus influit, quibus efficitur insula *Πεύκη* ab Eratostene, ut scholiasta ad IV, 310 docet, διὰ τὸ πολλὰς ἔχειν πεύκας hoc nomine vocata (v. 309 sqq.)<sup>3)</sup>; atque secundum Apollonii descriptionem *Καλὸν στόμα* a meridie, *Νάρηκος στόμα* a septemtrionibus videtur fuisse, ut supra diximus: qua in re a geographis graviter poeta dissentit, cum illi<sup>4)</sup> *Νάρακον στόμα* ad meridiem, *Καλόν* ad septemtriones spectare exhibeant; codices Apollonii v. 312 praebent .. καλέονσιν ἄρηκος ... vel καλέονσιν ἄρηκος<sup>5)</sup>: etiam in scholio legitur Ἅρηκος; καλέονσι *Νάρηκος* Hoelzlinus emendasse fertur: quae emendatio valde probabilis est, quamquam illa difficultas obstat: sed erravit fortasse poeta atque rem confudit.

Sed de Istro quidem hactenus: in Hadriam per alteram huius fluvii partem fabulosam iam pervenimus. Quod mare quam ob rem Apollonius *Κρονίην ἄλα*<sup>6)</sup> vocet, scholiasta explicat verbis (ad IV, 327) ἐνταῦθα γὰρ τὸν Κρόνον κατωκηκένται γαστίν; atque ad eandem rem fortasse etiam Aeschylus spectat, cum ex illius uxore hunc sinum Adriaticum *χόλπον Ρέας* appellat.<sup>7)</sup> Argonautae de Istri parte Adriatica egressi primum ad insulas Brygeides duas Dianae sacras contendunt, quarum in una illius deae templum est, — ad quod Apsyrtus trucidatus est (IV, 329 sqq., 452 sqq.) — ad alteram ipsi appelluntur (IV, 332 sqq.): reliquas enim insulas omnes

*μέσφα Σαλαγγῶνος*<sup>8)</sup> ποταμοῦ καὶ *Νέστιδος αἰγᾶς*

<sup>1)</sup> V, 9.                    <sup>2)</sup> p. 520.

<sup>3)</sup> Cfr. Berger, Die geogr. Fragn. d. Eratosth. p. 344 sq.

<sup>4)</sup> Arrian. per. 35. — Anon. per. 67 sq.

<sup>5)</sup> Cfr. Merkelii adnot. crit. p. 221.

<sup>6)</sup> IV, 327, 509, 546.

<sup>7)</sup> Prometh. 837 sqq.

<sup>8)</sup> Cfr. Lobeck, Patholog. serm. Gr. prolegomena Lips. 1843, p. 309.

Colchi iam occupaverant intercluserantque vias; quae contra Dianae insulas est oram continentis incolunt Brygi, e quibus illae ipsae quoque appellatae sunt *Bρυγηίδες* (IV, 330, 470). Quo fonte in his rebus poeta usus sit, nescimus: singula quidem contempleremur. Dianae insulas duas Apollonius intellexit eas quae vulgo ab antiquis appellabantur Apsyrtides:<sup>1)</sup> nam Colchos qui ibi consedisse feruntur, ex Apsyro nomen accepisse dicit (IV, 481, 515); sitae illae sunt ante sinum Flanaticum, unde qua fere regione Apollonius Istri ostium Hadriaticum illud esse sibi finxerit, statuere potes. De Brygorum autem sedibus nescio an ille erraverit: Scymnus<sup>2)</sup> et Strabo<sup>3)</sup> quidem hanc gentem Epidamnum accoluisse produnt: videtur igitur poeta eius fines aliquantum ad septentriones protulisse, nisi contendere mavis fuisse duas nationes, quibus idem illud nomen esset. Neque minor difficultas est de Salangone fluvio, qui plane ignotus est:<sup>4)</sup> Nestorum autem gens videtur ad Pharum insulam habitasse<sup>5)</sup>; sed num ad hanc regionem spectaverit Apollonius, dubium est, cum IV, 561 sqq. etiam Liburnides insulas, ut Issam, Coreyram Nigram, Melitam, quae ultra illam ad meridiem vergunt, a Colchis occupatas esse dicat: concedo tamen Apollonium accuratam notionem de his regionibus vix cepisse. Praeter Nestidem regionem etiam Nestaeos commemorat (IV, 1213), qui ad Ceraunios montes habitaesse dicuntur. — Apsyro imperfecto ab insula Diana Argonautae ad insulam Electridem profugiunt (IV, 504 sqq.): de qua deinceps, cum de Eridano, cuius ad ostium ea sita esse credebatur, dicam, pauca verba adiungam; Colchi autem postquam ducem necatum esse compererunt, fulguribus ne illis persequerentur deterriti in illis regionibus considerare constituunt:<sup>6)</sup> una

<sup>1)</sup> Cfr. Mueller ad Scyl. 21. — Strab. 123, 315. — Scymn. 373 sqq. — Mel. II, 114. — Plin. III, 151. — Dionys. 487 sqq. — Steph. Byz. v. Αψυρτίδες.

<sup>2)</sup> 434 sqq.

<sup>3)</sup> 326 sq. cfr. Steph. Byz. v. Βρύξ. — Mueller ad Scymn. l. l.

<sup>4)</sup> Mitto enim Meinekii conjecturam ad Steph. Byz. v. Σάλαγγος (vid. eius edit. p. 550 adn.). — cfr. Mueller ad Scyl. 22.

<sup>5)</sup> Scyl. 23. cfr. Mueller ad. h. l. — schol. Ap. Rh. IV, 1215, ubi Nestaei nominantur.

<sup>6)</sup> IV, 507 sqq.; 520 sq. — cfr. Brehmer, Entdeck. im Alterthum, II, 406 sqq.

igitur pars ad Dianaee insulas proficiscitur<sup>1)</sup>, altera ad Enchelenses demigrat et ad Illyrici fluvii ripas, ubi Cadmi Harmoniaeque tumulus erat<sup>2)</sup>, domicilia collocat (IV, 514 sqq.), tertia<sup>3)</sup> in Ceraniis montibus, quos ex ipso hoc tempore, quo illi fulminibus Iovis territi ac repulsi sunt, illo nomine vocatos esse poeta narrat, sedes deligit (v. 518 sqq.): quae in loca postea etiam Colchi demigrant, qui in insula Coreyra apud Phaeacas conserderant (IV, 1209 sqq.): postquam enim haec insula a Corinthiis occupata est, illi primum in *περαίην νῆσον*, tum ad Ceraunios montes, regiones Abantum<sup>4)</sup> Nestaeorumque<sup>5)</sup> atque in oppidum Oricum<sup>6)</sup> transmigrasse produntur: quae plane eodem modo atque Apollonius Timaeus enarraverat.<sup>7)</sup> Argonautae, postquam vias reditus patefactas esse senserunt, rursus profecti ad Hyllenses<sup>8)</sup> perveniunt, a quibus liberaliter recipiuntur; haec gens ad Coreyraeas res pertinet: in Coreyra enim, ut supra vidimus, Hercules e Melita, Aegaei fluvii filia, Hyllum progenitus dicebatur: hunc, cum adultus esset, Phaeacum coloniam ad sinus Hadriatici regiones deduxisse populumque Hyllensium ex ipso duce vocatum condidisse fabula erat (IV, 522 sqq.), quam etiam Scylax<sup>9)</sup> et Scymnus<sup>10)</sup>, qui Eratosthenem et Timaeum de hac re exscripsit, produnt: atque factum aliquod ei subesse suspicor. Unde autem Apollonius illa hauserit, quae de tripode Hyllensibus, quod viam per insularum orae illi obtentarum turbam difficilem demonstraverant, ab Argonautis praemio dato atque

<sup>1)</sup> Cfr. Dionys. 488 sqq.

<sup>2)</sup> Cfr. de hoc populo cum Cadmi fabula coniuncto: Mueller ad Scyl. 25, ubi locos quoque omnes collectos invenies. — Berger, Eratosth. p. 357.

<sup>3)</sup> De hac re dubitationem existere posse concedo: verba οἱ δὲ ἐν ὁρέσσου etc. (v. 518 sqq.) etiam ad Enchelenses referri possunt, quos nonnulli auctores ad Ceraunios montes habitasse produnt: cfr. Mueller ad Scyl. 25.

<sup>4)</sup> Cfr. Steph. Byz. v. *Ἀβαντίς*.

<sup>5)</sup> v. supra p. 89.

<sup>6)</sup> Cfr. Strab. 316. — Plin. III, 145: Oricum a Colchis conditum.

<sup>7)</sup> Schol. Ap. Rh. IV, 1216.

<sup>8)</sup> de situ cfr. Mueller ad Scylac. 22.

<sup>9)</sup> l. l.

<sup>10)</sup> 405 sqq. cfr. Steph. Byz. v. *Υλλεῖς*.

prope urbem Aganen<sup>1)</sup>) defosso tradit, plane ignotum est. Mentores, item gentem Illyricam<sup>2)</sup>, poeta non ita procul ab Hyllensibus, ut videtur, habitasse cogitavit: ab illis enim Hyllus, cum pro boum grege pugnaret, interfectus esse dicitur (IV, 548 sq.). Ab Hyllensibus degressi ad meridiem versus heroes contendunt atque insulas Liburnides praetervehuntur (IV, 560 sqq.), inter quas<sup>3)</sup> ab Apollonio nominantur hae septem: Issa, Dysceladus, Pityea, Coreyra Nigra, e silvarum colore appellata, Melite, Cerasus, Nymphaea, Calypsus nymphae sedes; notae sunt Issa, Coreyra Nigra, Melite<sup>4)</sup>), quas poeta secundum situm ordinemque geographicum — Argonautae enim a septemtrione progredi finiuntur — enumerat; Dysceladum Mela<sup>5)</sup> tantum commemorat; reliquae tres plane ignorantur: eam quam Apollonius Pityeam vocat proprie Pityussam nominatam esse a scholiasta<sup>6)</sup> cognoscimus: sine dubio similem ob causam nomen accepit atque Coreyra Nigra; Nymphaea vocata est e Calypso nympha, quam ibi habitasse, nimirum cum Coreyrae, quae Phaeacum sedes fuisse credebatur, situm atque narrationem eam quam Homerus de Ulixis navigatione ad eorum terram exhibit respicerent et inter se conferrent, antiqui ratiocinati videntur esse. Iam Ceraunios montes Argonautae conspiciunt, cum tempestate exorta ad insulam Electridem repelluntur atque in Eridanum fluvium deferuntur (IV, 573 sqq., 594 sqq.).

Sequitur Eridani Rhodanique descriptio:<sup>7)</sup> priusquam autem ad ipsam Apollonii narrationem considerandam transeo, antiquissima de illo fluvio testimonia exponam. Aliter enim atque de Istro flumine, cuius descriptionem certo auctori debere poetam

<sup>1)</sup> Cfr. Merkel. adnot. ad IV, 535.

<sup>2)</sup> Aristot. Mir. 111. — Plin. III, 119. — Steph. Byz. v. Μέντορες. cfr. Mueller ad Scyl. 21, ubi Mentorides insulae commemorantur.

<sup>3)</sup> Strab. p. 315 (*περὶ τετταράκοντα τὸν ἀριθμόν*).

<sup>4)</sup> Scyl. 23. — Scymn. 413 sq. — Plin. III, 152. — Mel. II, 114. — Ptol. II, 16, 14.

<sup>5)</sup> l. l.

<sup>6)</sup> ad IV, 564.

<sup>7)</sup> Cfr. Kiepert, Lehrb. d. alt. Geogr. p. 391 Anm. 2. — Mannert, Geogr. d. Gr. u. R. IX, 1, 61 sqq. — Brehmer, Entdeck. i. Alterthum II, p. 69 sq., 91 sqq., 105. — Forbiger, Handb. der alten Geogr. v. Europa p. 364.

scimus, unde ea quae de hoc tradit hauserit, plane ignoramus. Atque omnium primus Hesiodus Eridani mentionem facit<sup>1)</sup>: sed nihil nisi nomen, cui vocabulum *βαθυδίνης* adiectum est, ex eo discimus.<sup>2)</sup> Deinde Aeschylus<sup>3)</sup> in Iberia, quo nomine ille non solum Hispaniam, sed etiam Galliae partes meridianas appellasse videtur<sup>4)</sup>, Eridanum esse, eundemque appellari Rhodanum dixit. Tum Pherecydes<sup>5)</sup> ei qui postea Padus vocabatur fluvio Eridani nomen tribuit. Uberius Herodotus de eo agit: negat esse fluvium Eridani nomine appellatum, quem in mare septemtrionale influere et unde sucinum deportari fabula esset; atque ipsum nomen Eridani non esse barbarum, sed Graecum et a Graeco poeta fictum.<sup>6)</sup> Porro Euripides<sup>7)</sup> simili atque Apollonius modo Padum et Rhodanum in Hadriatico litora confluere atque, ut videtur, Eridani nomine vocatos<sup>8)</sup> una in Hadriam influere contendit. Denique Scylax<sup>9)</sup>, ubi Enetos ad Hadriae angulum habitantes recenset, Eridanum commemorat. Venimus ad Apollonium: et primum quidem statuendum est secundum eius narrationem Eridanum in sinum Hadriaticum influere. Apsyro enim in insula quadam huius sinus, ut supra exposuimus, imperfecto Argonautae ad insulam Electridem prope Eridani ostium sitam (IV, 505 sq.) contendisse narrantur: dicit eam poeta ἀλλάων ὑπάτην i. e. omnium quae in illo sinu sitae sunt insularum ultimam et a ceteris longe remotam (IV, 508 sq.); inde Liburniae Dalmatiaeque oram et insulas praetervecti iam Ceraunii montibus heroes appropinquabant, cum tempestatibus subito exortis ad insulam Electridem relati sunt, unde ipsum Eridani cursum intraverunt (v. 593 sq.): qua e narratione patet Eridanum in

<sup>1)</sup> Theogon. 338.

<sup>2)</sup> Cfr. Mueller ad Scyl. 19, qui Welekeri opiniones (Aeschyl. Trilog. p. 568) refutavit.

<sup>3)</sup> ap. Plin. N. H. XXXVII, § 32 sqq. = fr. 73 N.

<sup>4)</sup> Cfr. Scyl. 3. — Scymn. 206 sqq.

<sup>5)</sup> Schol. German. Arat. 264. — Hyg. 154.

<sup>6)</sup> III, 115.

<sup>7)</sup> ap. Plin. XXXVII, 32 sqq.

<sup>8)</sup> Hippolyt. 735 sqq. — cfr. Nauck, Tragicor. fr. 2, p. 601.

<sup>9)</sup> 19. cfr. Mueller ad h. l. — De Eratosthenis sententia cfr. Berger, Die geogr. Fragm. d. Eratosth. p. 356 sq. — v. Scymn. 395 sqq. — Polyb. II, 16, 13. — Strab. 215. — Dionys. v. 288 sqq.

Hadriam influere cogitandum esse<sup>1)</sup> atque haec quidem ratio quadrat ad Pherecydis, Euripidis, Scylacis sententias. Minus ad geographiam spectant fabulae illae, quas de origine electri Apollonius prodit: quarum unam, quae est de Phaethonte et Heliodibus, poetae Graeci iamdudum fuse exposuerant<sup>2)</sup>, alteram, qua Celtae sucina esse lacrimas Apollinis, quem illi sine dubio Solem deum intellegebant, tradidisse narrantur (IV, 609), postea demum ex ipsis barbaris illis electra vendentibus Graeci videntur comperisse<sup>3)</sup>: nimirum autem ambae fabulae inter se propinquae sunt; mirum videtur, quod Apollonius Phaethontem non in fluvium ipsum, sed in lacum quendam, cuius aquae in illum emittuntur, demersum esse narrat (IV, 597, 606, 608, 621): atque naturam lacus, quam quidem poeta describat (v. 597 sqq.), Asphaltitae similis videtur, qui aeque atque ille „gravitate odoris accolit pestifer“ suetas aquis volucres non patitur, ut Tacitus<sup>4)</sup> prodit.

— Ex Eridano Argonautae in eam partem Rhodani fluvii perveniunt, quae ex hoc in illum influit (IV, 625 sq.): Rhodanus enim ex intima terrarum plaga,

. . . ἵνα τ' εἰσὶ πύλαι καὶ ἐδέθλια Νυκτός<sup>5)</sup>,

ortus, ubi per lacus quosdam, qui late per Celtarum fines porrigitur, fluit, duas partes emitit, quarum una in Eridanum influit, per quam heroes in illos lacus perveniunt; altera pars, ab Apollonio ἀπορρόεσ vocata (IV, 635), in Oceani sinum effluit: quam Argonautae ex illis lacubus rursus egressi iam navigaturi sunt, cum a Iunone, quae in monte Hercynio (v. 638) appareret, revocantur: itaque proprium Rhodani alveum intrant, quo per Celtarum Ligurumque gentes ad mare deferuntur (v. 644 sqq.): dividitur igitur Rhodanus in tres partes (v. 629): una ad Oceanum defluit, altera postquam in Eridanum transiit eius alveo in Hadriam immittitur, tertia, quae re vera unicus Rhodani cursus est, in mare Sardinum sinumque ingentem, ut Apollonius dicit,

<sup>1)</sup> De Electridibus insulis cfr. Scyl. 21 (v. Mueller ad h. l.) — Seymn. 374. — Plin. III, 152. — Strab. 215.

<sup>2)</sup> Cfr. Welcker, Aeschyl. Trilogie p. 566 sqq.

<sup>3)</sup> Cfr. Welcker, ibid. p. 567. De Phaethontis fabulis cfr. Knaack, Quaest. Phaethontae. Berlin 1886.

<sup>4)</sup> Hist. V, 6.

<sup>5)</sup> Quae verba quo spectent, accurate dicere non possum.

eum qui sinus Gallicus<sup>1)</sup> vocabatur, influit. Apollonius igitur Eridanum et Rhodanum ipsos fluvios diserte inter se discernit, qua in re ab Aeschylo graviter dissentit: sed tamen cursus eorum per alveum, qui e Rhodano in Eridanum transmittitur, rursus inter se coniungit: Euripides, ad quem solum Plinii<sup>2)</sup> verba spectare possunt, cum Apollonius longe aliam opinionem exponat, simpliciter „in Hadriatico litore confluere Rhodanum et Padum“ dixerat. Eridani nomine ab Apollonio quoque Padum appellari ex iis quae supra exposui verisimile, ne dicam manifestum videatur; de Rhodani cursu recte fere ille sensit: recte enim narrat eum per Celtas et Ligures<sup>3)</sup> compluribus capitibus — quamquam de numero eorum, quem septem fuisse poeta tradit (IV, 632), dissensio est<sup>4)</sup> — in sinum maris, quod est ad Sardiniam, influere: sciebat igitur hos duos fluvios plane inter se diversos esse: attamen priorum, ut Aeschyli et Euripidis, sententias nimirum e nominum similitudine ortas, quibus fluvii illi aliquo modo inter se coniuncti esse habebantur, plane reiicere noluit, itaque per propriam Rhodani partem eos inter se copulavit: cui autem hanc rationem et viam poeta debeat, nisi forte ab ipso eam excogitatam esse statuere mavis, obscurum est. Nimirum ubi primum Padi et superioris Rhodani regiones accurate innotuerunt, etiam hanc opinionem falsam esse apparuit. Iam quaeritur, qua causa permotus Apollonius illam Rhodani  $\alpha\piορ\varphi\circγ\alpha$ , quae praeter Hercynium scopulum in Oceanum defluere dicitur, commemoraverit. Subesse videtur huic rei fama, quae de fluvio quodam e Rhodani vicinitate in Oceanum defluenti<sup>5)</sup> ad Graecos perlata erat: id quod potissimum ex Hercynii montis mentione patet, ad quam sine dubio Caesar spectat, cum Hercyniam silvam „Eratostheni et quibusdam Graecis fama notam“ fuisse dicit.<sup>6)</sup> Ea quoque quae de lacubus, per quos Rhodanus fluere fertur, poeta narrat, fama videntur accepta esse: pertinent

<sup>1)</sup> Kiepert, Atl. antiqu. t. X.

<sup>2)</sup> XXXVII, 34.

<sup>3)</sup> Cfr. Scyl. 4.

<sup>4)</sup> Strab. 122, 183: Timaeus quinque, Artemidorus tres, Polybius duo ostia esse contenderat.

<sup>5)</sup> De Rheno scilicet: cfr. Berger, Geschichte der wissenschaftl. Erdkunde p. 21.

<sup>6)</sup> Bell. Gall. VI, 24. — cfr. Berger, Fragm. d. Erathosthenes p. 361

enim sine dubio ad eos Alpium lacus, per quos fluunt Rhodanus et Rhenus et illi fluvii, quos ei in se recipiunt. Denique moneam in tali trium fluviorum coniunctione, quae nobis absurdum videtur, antiquos minime offendisse<sup>1)</sup>: ab Apollonio quidem, ut supra vidimus, Phasis et Araxes simili atque Eridanus et Rhodanus modo inter se connectuntur, Ister secundum ipsorum geographorum doctrinas in duas partes dividitur: eadem fere rursus de Rhodano proferuntur: sunt autem, ut vidimus, priorum sententiae commutatae, correctae, ad ipsius Apollonii aetatem accommodatae.

E medio Rhodani ostio provecti Argonautae ad insulas Stoechades<sup>2)</sup> appelluntur, contra Galliae oram meridianam sitas. Quibus e causis poeta et auctor eius in his insulis heroes fuisse putaverint, incertum est: dicit (IV, 552) ibi Ἀργόης περιώσια σήματα νηός exstare, atque fortasse e verbis (IV, 648):

. . . σόοι εἶνεκα κούρων  
Ζηνός· ὁ δὴ βωμοὶ τε καὶ ἱερὰ τοῖσι τέτυκται  
ἔμπεδον· . . .

coniiciat quis ibi fanum Castoris et Pollucis vetustissimum fuisse, quod ab Argonautis conditum esse fabula esset.<sup>3)</sup> Accuratus scimus, quae σήματα<sup>4)</sup>, e quibus antiquis apparere videbatur heroes ibi versatos esse, Aethaliae, quam ad insulam a Stoechadibus pervenisse illi narrantur (IV, 652), exstiterint. Potissimum enim portus huius insulae, Argous appellatus<sup>5)</sup> fabulosi itineris memoriam referebat (IV, 656); praeterea ibi lapilli varii et mire guttati reperiebantur, qui ex eo colores recepisse dicebantur, quod Argonautae eis sudorem detersissent (v. 653 sqq.).<sup>6)</sup> atque

<sup>1)</sup> Cfr. Berger, l. l. p. 347 Anm., ubi exempla collecta sunt.

<sup>2)</sup> Strab. 184. — Mel. II, 124. — Plin. III, § 79. — Ptolem. II, 10, 21.

— Steph. Byz. v. Στοιχάδες (καλοῦνται δὲ καὶ Αγνωτίδες cfr. Ap. Rh. IV, 551). cfr. tabulas geogr.

<sup>3)</sup> Cfr Diodor. IV, 56, 4.

<sup>4)</sup> Cfr. Diodor. IV, 56, 5: ἔυφανη σημεῖα.

<sup>5)</sup> Strab. 224. — Diodor. IV, 56, 5.

<sup>6)</sup> Strab. l. l. — Diod. l. l. — Aristot. De mir. auscult. 105. — Etiam L. Holstenius recentiore aetate hos lapides vidit: cfr. adnot. ad Ap. Rh. IV, 655 (in Shawii edit. II, p. 127).

etiam disci<sup>1)</sup> et panni ingentes, quos ab heroibus ibi relicti esse credebantur, videntur in insula asservati esse (v. 655).

Ex insula Aethalia Aeaeam (IV, 659), ad sedem Circae, Argonautae veniunt, unde Sirenum Planctarumque pericula subeunt (IV, 889 sqq., 920 sqq.); quibus superatis Thrinaciam praetervecti ad Phaeacum insulam contendunt (v. 991 sq.), a quibus liberaliter recipiuntur. Atque quoniam de his rebus in priore dissertationis parte egi, iam ad ultimas carminis partes considerandas transeo.

Coreyra Phaeacum insula relicta (IV, 1221), sinum Ambracium (v. 1226), Acarnaniam, Curetum terram (v. 1227), Echinades insulas illi orae obtentas (v. 1228) praetervecti<sup>2)</sup> heroes iam Peloponnesum (v. 1229) conspiciunt, cum boreae venti flatu vehementissimo in mare Libycum deferuntur, unde tandem in intima Syrtis loca repelluntur (v. 1233): ipsius quidem poetae verba sunt:

... μέχρις ἵκοντο  
προπρὸ μάλ' ἐνδοθι Σύρτιν . . .

Atque cum duae et a nobis discernuntur et ab antiquis distinguebantur Syrtes, statim oritur quaestio, utram dicat poeta. Secundum ipsam narrationem quidem, qua Argonautae a Peloponnesi ora occidentali borea vento ad illam regionem delati esse produntur, maiorem Syrtim intellegendam esse veri simili est: haec enim ex illa regione ad ipsum meridiem spectat, cum altera ab occidente magis sit: attamen concedo hoc esse levissimum argumentum, propterea quod ad tales ratiocinationes geographicas poeta vix respexit. Et ne illi quidem versus, quibus natura Syrtis diserte describitur (IV, 1235 sqq.), ad hanc quaestionem diiudicandam valent: utraque enim Syrtis proditur esse deserta, arenosa, vadosa, aestus recessu malaciaque periculosissima, sicut Apollonius ipsam depingit.<sup>3)</sup> Fortasse autem ille consilio rem dilucide exponere noluit: reliqua quoque quae de Libya narrat satis obscura sunt. Ab illa enim Syrtis regione heroes navi humeris imposita duodecim dies

<sup>1)</sup> σόλοι (IV, 655): spectant fortasse ad ferri abundantiam, qua floruit Aethalia. — cfr. Diod. V, 13.

<sup>2)</sup> v. tabulas geographicas.

<sup>3)</sup> Cfr. Strab. p. 835 sq. — Plin. V, 26. — Mel. I, 35, 37. — Seyl. 110 (qui minorem esse periculosiorem dicit. — Dionys. 103 sqq. (aliter atque illi sentit: est autem minime audiendus).

noctesque per Libyaee arenas profecti ad Tritonem lacum per-  
veniunt (IV, 1382—1390), qui ostio angusto (v. 1574) cum mari  
coniunctus est; atque tales lacus videntur complures in ambarum  
Syrtium ora fuisse.<sup>1)</sup> Iam ubi Apollonius Tritonem lacum esse  
cogitaverit, ex ipsius verbis enucleare conemur. Atque primum  
quidem illum ab eo Syrtis loco, ad quem Argonautae appulsi  
sunt, satis longe abesse e pedestri illo itinere appetet: neque  
vero solum, utra Syrtis intellegenda sit, nescimus, sed etiam,  
quam ad caeli plagam illud iter spectaverit, poeta dicere omittit;  
ergo ad eam quam tractamus rem illustrandam ex illa quae  
est de itinere pedestri narratione nihil proficitur. Deinde prope  
illum lacum Tritonem esse dicitur hortus Hesperidum (IV, 1394,  
1442), quem ipsum χώρων ἐν Ατλαντος situm esse poeta prodit  
(v. 1396): hanc Atlantis terram nescio an ad occidentales Africæ  
tractus, ubi est mons Atlas, referenda sit, quamquam ipsa verba  
illa satis obscura sunt. Eodem spectare videtur Mopsi ad illum  
lacum sepulti (IV, 1530) tumulus: quem a Colchis tantum abesse  
Apollonius indicat, quantum occidens abest ab oriente (I, 84 sq.).  
Tum non procul a Tritone lacu habitasse videntur Garamas,  
Nasamo, Caphaurus heroes (IV, 1483 sqq): narratur enim Canthus  
Argonauta, cum Caphauri greges abducere conaretur, ab illo  
interfectus esse; intellegendi autem sine dubio sunt Garamas  
Nasamoque atavi gentium Garamantum<sup>2)</sup> et Nasamonum<sup>3)</sup>, qua-  
rum haec maiorem Syrtim accolebat, illa mediterranea loca et  
quae magis ad meridiem versus spectabant, habitabat. Porro  
Triton deus, qui Argonautis opem ferens Euphemoque glebam  
illam donans inducitur (IV, 1549 sqq.), se Eurypylum regem esse  
simulat (v. 1559): is autem Cyrenæ regnasse fertur<sup>4)</sup>, quo etiam  
tota glebae fabula pertinet. Vidimus igitur harum rerum bre-

<sup>1)</sup> Strab. II. II.: cfr. de Tritone lacu: Pauly, Real-Encycl. v. Tritonis, Triton: ubi omnes locos collectos invenies. — P. Thrige, Res Cyrenensium. Hafniae 1828 p. 68 sq.

<sup>2)</sup> Herod. IV, 174, 183. — Plin. V, 26. — Strab. 835, 838. — Mel. I, 23. — Dinoys. 217. — Tac. Ann. III, 74; IV, 26. Hist. IV, 50. — Ptolem. IV, 6, 16.

<sup>3)</sup> Scyl. 109; cfr. Mueller ad h. l. — Strab. 131, 836. — Herod. II, 32, IV, 172. — Plin. V, 33. — Ptolem. IV, 5, 20 sq.

<sup>4)</sup> Schol. Ap. Rh. IV, 1561.

viter a poeta indicatarum aliam ad aliam regionem spectare. Neque magis ad rem examinandam valent Argous portus et σηματα νησος et arae Neptuni Tritonisque, quae ab ostio lacus, quo in mare emittitur, non longe abfuisse videantur (IV, 1618 sqq.)<sup>1)</sup>: nam accuratius situs harum rerum definiri nequit. Denique exponit poeta oram maritimam ab illo emissario primum directo aliquantum ad orientem porrigi, — nam Argonautae Zephyri flatu eam ἐπὶ δεξιῃ ἔχοντες praetervehuntur (IV, 1621; cfr. v. 1576 sqq.), — tum angulo effecto late instar ἀγκῶνος (v. 1580 sq., 1623 sq.) in mare prominere, unde illi noto secundo (v. 1625 sq.) adiuti Graeciam petunt: quae descriptio, cum tabulam geographicam inspicio<sup>2)</sup>, nescio an ad eam Libycae orae partem quadret, qua redditur sinus maioris Syrtis: nam certe ea, quippe quae satis dilucida sit, ad verum locorum situm spectat. Fortasse igitur Apollonius de Tritonis lacus situ idem sensit atque Callimachus<sup>3)</sup> qui eum citra minorem Syrtim — sine dubio ex Alexandriae, ubi vixit ille, regione dictum — esse contenderat. Atque omnino hic fusius de his regionibus videtur egisse: laudatur quidem a scholiasta, et ubi de Libycis deabus, quae Argonautis opitulantur (IV, 1307 sqq.), verba facit et ubi de Eurypylo rege tractat (schol. ad IV, 1322 et 1561)<sup>4)</sup>: atque id minime mirum est in homine Cyrenaeo. Praeter eum a scholiasta commemorantur Agroetas<sup>5)</sup> Acesander<sup>6)</sup>, Theochrestus<sup>7)</sup>, qui item de Cyrenis scripserunt: sed quibus temporibus illi floruerint, plane ignotum est. E Pindari carmine illo ad Arcesilaum Cyrenaeum misso<sup>8)</sup> de geographia non multum discere potuit Apollonius,

<sup>1)</sup> Schol. Ap. Rh. IV, 1620.

<sup>2)</sup> v. Kiepert, Atl. ant. I.

<sup>3)</sup> Apud Plin. V, 28.

<sup>4)</sup> ad IV, 1322: . . . περὶ δὲ τῶν νυμφῶν μέμνηται Καλλίμαχος . . . ad IV, 1561: μνημονεύει τὸν Εὐρωπύλον καὶ Καλλίμαχος . . . περὶ Κυρήνης ποιούμενος τὸν λόγον. cfr. ad IV, 1552: . . . ἔστι δὲ παρὰ τοῖς γεγραφόσι τὰ περὶ Κυρήνης καὶ Λιβύης.

<sup>5)</sup> Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 294 sq. fr. 2—4 (cfr. fr. 6) = schol. Ap. Rh. II, 498, IV, 1396, IV, 1492.

<sup>6)</sup> Cfr. id. ibid. IV, 285 sq., fr. 4—6. = schol. Ap. Rh. IV, 1561, II, 498, IV, 1750.

<sup>7)</sup> id. ib. II, 87 (schol. Ap. Rh. IV, 1750). cfr. Thrig, Res Cyrenensium. Hafniae 1828 p. 6 sq., 68 sq.

<sup>8)</sup> Pyth. IV.

quia ille de hac itineris parte antiquissimas sententias rationesque exhibuerat<sup>1)</sup>, quae ad Apollonii aetatem iam aptae non erant.

Ab ora Libyae Carpathum profecti (IV, 1634) Argonautae Cretam petunt (v. 1635) ultra reliquas maris Aegaei insulas sitam, atque Talo interfecto in terram exeunt (v. 1687 sq.). Inde Salmonium promunturium<sup>2)</sup>, quo haec insula latissime ad orientem vergit, circumvecti (v. 1691) per mare Creticum navigant<sup>3)</sup>, dum Anaphen perveniunt (v. 1715), quae insula, e Sporadibus una (v. 1709), a verbo ἀναφένειν nomen recepisse fertur, quod Apollo eam e scopolis Melantiis in mari sitis (v. 1705)<sup>4)</sup> per nubilae noctis tenebras Argonautis monstrasset (v. 1704 sqq.). Erat in hac insula fanum Apollonis Aegletae<sup>5)</sup>, quod illi heroes condidisse tradebantur, atque, cum festos dies huius dei incolae agebant, mos erat, ut viri et feminae inter se ludificarentur et cavillarentur (IV, 1725 sqq.): cuius moris origo item ab Argonautis repetebatur: atque etiam Callimachus<sup>6)</sup> hunc Apollinis Aegletae cultum bene novisse videtur: fortasse igitur ei Apollonius sua debuit. Prope Anaphen sita est Hippuris insula (IV, 1710), cuius, ut scholiasta adnotat, Timosthenes et Pythaenetus, qui de Aegina insula librum scripsit, mentionem fecerunt. Timosthenes<sup>7)</sup>, qui περὶ λιμένων librum confecit, classi Ptolemaei Philadelphi regis praefuit: vixit igitur ante Apollonium; Pythaeneti aetatem vero plane ignoramus.<sup>8)</sup> Anaphe relicta heroes Aeginam contendunt atque in cursu Euphemus glebam a Tritone receptam in mare proiicit, e qua Calliste sive Thera insula oritur (IV, 1755 sqq.): quae fabula, quippe quae ad Cyrenen spectet, ab eis auctoribus, qui de hac urbe scripserunt,

<sup>1)</sup> Cfr. ib. 25 sq.

<sup>2)</sup> Cfr. Strab. 472 sq. — Mel. II, 112. — Plin. IV, 58. — Ptol. III, 17, 5: vulgo vocatur Samonium vel Sammonium.

<sup>3)</sup> v. Kiepert, Atl. ant. t. IV.

<sup>4)</sup> Strab. 636. — schol. Ap. Rh. IV, 1707.

<sup>5)</sup> Strab. 484. — Apollod. I, 9, 26. — cfr. Schneider, Callimach. II, 78 sq.

<sup>6)</sup> Apud Strab. 46, 484.

<sup>7)</sup> Cfr. E. A. Wagner, Die Erdbeschreibung des Timosthenes. Leipzig 1888. Diss. — Praeter hunc locum quinques laudatur a schol. Ap. Rh. II, 297, 517, 526, 532; III, 847: ultimus locus tamen dubius est.

<sup>8)</sup> Cfr. C. O. Mueller, Aegineticorum liber. Berl. 1817 p. 30.

videtur uberior exposita esse, a Theochreste et Acesandro, de quibus modo diximus. Aeginae simili atque Anaphae modo incolae memoriam Argonautarum videntur retinuisse: mos enim erat, ut iuvenes, cum amphoras aqua repletas humeris portarent, certatim current, quod illos idem fecisse, cum aquarentur, fabula erat.<sup>1)</sup> Ab Aegina Cecropiam terram, Aulidem, alias Opuntiorum Locorum urbes, dum ex altera parte Euboeam conspiquant, praetervecti Argonautae tandem ad Pagasaeas actas redeunt (IV, 1776—1779). Iam ad finem itineris pervenimus.

Restat, ut singulos locos colligam, ubi Apolonius res ad geographiam pertinentes commemorat. Ut a Graecia incipiamus, Thessalam poeta vocat Haemoniam, *Αίμονίην* (II, 506, III, 1089, IV, 998, 1032)<sup>2)</sup>, atque incolas eius *Αίμονιῆς* (II, 509; IV, 1073); situm huius terrae diserte describit (III, 1084 sqq.): esse eam altis montibus circumclusam, sicut Herodotus<sup>3)</sup> quoque prodit, abundare gregibus pecudum, multas urbes in ea esse; fluvii commemorantur Peneus, cuius ab ripis Apollo Cyrenen nympham rapuit (II, 502 sqq.), Apidanus (II, 517), Amyrus, ad quem Lacerea, Coronidis patria, sita erat (IV, 614 sq.); Triccae<sup>4)</sup> natus erat Deimachus heros (II, 957), cuius filii Deileon, Autolycus, Phlogius Sinopen condiderunt.<sup>5)</sup> Prope Phthiam erat campus Athamantius, aequa atque Othrys mons, opimum gregibus paucum.<sup>6)</sup> — A Thesalia ad meridiem vergebant Dryopes<sup>7)</sup> Oetam accolentes, e quibus Hercules Hylan Theodamantis filium rapuit (I, 1211 sqq.). — Thebae Ogygiae, quam urbem Amphion et Zethus olim aedificaverant (I, 736 sqq.), Cadmus draconem Aonium, Martii fontis custodem, interfecit (III, 1177 sqq.)<sup>8)</sup>, cuius dentes Iason rursus Aeetae iussu apud Colchos sevit. — In Attica erat

<sup>1)</sup> Cfr. Apollod. I, 9, 26, 6.

<sup>2)</sup> Strab. 443 sq. — Steph. Byz. v. *Αίμονία*. — schol. Ap. Rh. II, 504; III, 1090; IV. 1000.

<sup>3)</sup> VII, 129. — cfr. schol. Ap. Rh. III, 1085.

<sup>4)</sup> Strab. 327, 360, 374, 437 sq.

<sup>5)</sup> Cfr. supra p. 65.

<sup>6)</sup> II, 516 sq. cfr. schol. Ap. Rh. II, 513.

<sup>7)</sup> Strab. 321, 373, 434, 586. — Steph. Byz. v. *Δρυόπη* — schol. Ap. Rh. I, 1212.

<sup>8)</sup> Cfr. schol. ad h. l.

Ilissus fluvius eo nobilis, quod ab eius ripis Boreas Orithyiam abduxit (I, 215).<sup>1)</sup> — Ephyra, quo nomine Corinthus antiquissimis temporibus vocata esse dicitur, Bacchiadae colonos in Phaeacum terram mittunt (IV, 1210).<sup>2)</sup> — Arcades Apidanenses poeta iam illis temporibus fuisse tradit, quibus luna nondum erat (IV, 266): eos igitur esse omnium Graecorum antiquissimos: quae fabula ab auctoribus satis multis videtur tractata esse.<sup>3)</sup> In Arcadia erant Lampeae<sup>4)</sup> Erymanthique<sup>5)</sup> saltus (I, 127) et lacus Stymphalius<sup>6)</sup> ob Herculis labores clarissimi (II, 1055); Maenalus<sup>7)</sup> quoque mons feris plenus videtur fuisse (I, 168, 770). — Nunc ad insulas recensendas transeamus. Strophades<sup>8)</sup>, antea Plotas dictas, a verbo στροφειν nomen accepisse poeta narrat, properea quod Boreadae, cum Harpyias persecuti essent, illinc reverterentur (II, 296 sq.): quam narratiunculam ex Antimacho, qui in Lyde de hac re dixerat, Apollonius hausit<sup>9)</sup>; adnotat enim scholiasta ad II, 296: Στροφάδας φησὶ κεκλησθαι διὰ τὸ τοὺς Βορεάδας αὐτόθεν ὑποστρέψαι στραφέντας εἰς τούπισω, λαβὼν παρὰ Ἀντίμαχον . . . et ad II, 297: αἱ Πλωταὶ νῆσοι μετωνομάσθησαν Στροφάδες· μέμνηται αὐτῶν καὶ Ἀντίμαχος ἐν τῇ Λύδῃ. — Saepissime commemoratur Creta, sedes Minois regis, e quo ipsa appellatur Μήνως (II, 299) atque mare quod est ad eam Μήνωτον (IV, 1562) atque omnino maris Aegaei insulae Μήνωιδες (II, 518)<sup>10)</sup>. Erat in Creta Dictaeum antrum in quo Iupiter nutriebatur (I, 509), et Anchiale nympha Dactylos Idaeos peperit (I, 1130); etiam ἀχαιωνέαι ἔλαφοι (IV, 175), cervorum genus<sup>11)</sup>, quod Romani vocabant „subulones“, ad Cre-

<sup>1)</sup> Cfr. schol. ad h. l. — Cfr. Herod. VII, 189.

<sup>2)</sup> v. schol. Ap. Rh. IV, 1212.

<sup>3)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. IV, 264, ubi enumerantur Eudoxus, Theodorus, Aristias, Dionysius, Mnaseas, Aristoteles, Duris. cfr. Strab. 388.

<sup>4)</sup> Cfr. Strab. 341. — Paus. VIII, 24, 4. — Steph. Byz. v. Λάμπεια.

<sup>5)</sup> Cfr. Hom. ζ, 103. — Paus. I. I. — Apollod. II, 5, 4. — Steph. B. v. Ἐρύμανδος.

<sup>6)</sup> Cfr. Apollod. II, 5, 6. — Steph. Byz. v. Στρύμφαλος. — Strab. pp. 371, 389.

<sup>7)</sup> Strab. 389. <sup>8)</sup> Id. p. 359. <sup>9)</sup> v. supra p. 28.

<sup>10)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. II, 516. — Strab. 472 sqq.

<sup>11)</sup> Cfr. schol. ad h. l. — Aristot. Hist. anim. 505<sup>a</sup>, 24 (ἀχαιήνης ἔλαφος). cfr. Bonitz, Index Aristot. p. 130 v. ἀχαιίης.

tam pertinent, cum ex Achaea urbe nominatae essent; in Amniso fluvio Cretico<sup>1)</sup> Diana lavari putabatur (III, 876, 881), sicut de Parthenio, ut vidimus (II, 940 sqq., III, 875), fabula eadem erat. — Teni (I, 1305 sqq.) in tumulo Calaidos et Zethae erant duae columnae, quarum una boreae venti flatu tacta resonabat.<sup>2)</sup> — Cei erat fanum Iovis Icmæi, quod ab Aristaeo heroe conditum esse narrabatur (II, 522 sqq.).<sup>3)</sup> — Sicinum, quae antea Oenoea vocata esse fertur, Thoas rex, cum Lemno fugeret, delatus est (I, 623 sqq.), cuius e filio Sicino illud nomen postea insulae inditum est.<sup>4)</sup> — Diae, quo nomine poetae Naxum appellare solent, nuptiae Bacchi et Ariadnae celebratae sunt (IV, 425 sqq.).<sup>5)</sup> — Nunc ad regiones remotiores progrediamur. In Pallene paeninsula erat campus Phlegræus<sup>6)</sup>, ubi dei cum Gigantibus decertasse dicebantur (III, 234, 1226). — In Ἀσίδος ἡπείρῳ (II, 779) plagis fluit Pactolus fluvius cygnis canoris frequentissimus (IV, 1298 sqq.).<sup>7)</sup> — Latmi montis specus propter Lunae Endymionisque amores celeberrimus est (IV, 57).<sup>8)</sup> — Paulo uberius de Aegypto Apollonius dicit: quae terra ab eo vocatur Ἡρώη (IV, 270)<sup>9)</sup>; inundatur a Tritone fluvio, quo nomine Nilus antea appellatus esse<sup>10)</sup> tradebatur (IV, 269), ἐπτάρρως dictus, quod septem capitibus in mare influit<sup>11)</sup>; populus Aegyptiorum est omnium antiquissimus, ut Mosmes, Leo, Cnossus<sup>12)</sup>

<sup>1)</sup> Steph. Byz. v. Αμνισός.

<sup>2)</sup> Cfr. schol. ad h. l.: fortasse ex Aenesidemi Teniacis (schol. Ap. Rh. I, 1300) Apollonius hanc narratiunculam sumpsit. De auctore illo cfr. Mueller, Hist. fr. IV, 286 sq.

<sup>3)</sup> Cfr. schol. ad h. l.

<sup>4)</sup> Cfr. schol. ad h. l.: e Cleone sumptum, cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 515 v. supra p. 28.

<sup>5)</sup> Aliter Homerus rem narrat: λ, 325.

<sup>6)</sup> Schol. Ap. Rh. III, 234. — Scymn. 635 sqq. — Strab. p. 330, fr. 25, 27. — Steph. Byz. v. Φλέγρα.

<sup>7)</sup> Cfr. Callimach. Hymn. in Del. 250.

<sup>8)</sup> Cfr. schol. ad h. l.

<sup>9)</sup> Cfr. Hesych. v. Αερία. — Steph. Byz. v. Αἴγυπτος — Gell. 14, 6: — Eustath. ad Dionys. 239. — Steph. Thes. v. Ἡρώη.

<sup>10)</sup> Plin. V, 54. — schol. Ap. Rh. IV, 269.

<sup>11)</sup> Mel. I, 51.

<sup>12)</sup> Schol. Ap. Rh. IV, 262: Mosmes et Cnossus plane ignoti sunt: cfr. Mueller, Hist. fr. III, 158 et IV, 369, qui „Cosmes“ et „Eudoxus“ coniecit; fortasse vernacula Aegyptiorum nomina in eis latent. —

auctores aliter atque Herodotus<sup>1)</sup>, contenderant (IV, 259 sqq.). Ab Aegyptiis Colchorum originem ab antiquis repetitam esse supra demonstravi<sup>2)</sup> (IV, 272 sqq.). Ad Aegyptum pertinent etiam campus Nysëus et lacus Serbonis, cuius in aquas Typhaon demersus esse ferebatur (II, 1217 sq.)<sup>3)</sup>, cum *Mνωτώσιον αἴπος*, quo Apollo Cyrenen nympham traduxit, in Cyrenaica regione sit (II, 507).<sup>4)</sup> Denique commemoro Apollonio morem esse, cum dei mentionem facit, interdum eius delubra nobilissima enumeraudi<sup>5)</sup> vel ipsum e fano celeberrimo appellandi. Itaque Apollini saera sunt Pytho (I, 308, 418, 536), Parnassus, quem Coryciae nymphae, Plisti filiae, habitant (II, 707 sqq.), Delus sive Ortygia (I, 308, 419, 537), Clarus (I, 308), Ismenus (I, 537) Xanthusque (I, 309)<sup>6)</sup> fluvii; ipse vocatur Lycoreus e vico Lycorea apud Delphos sito (IV, 1488) frequentare solet Hyperboreos (II, 677; IV, 612). Propter Neptuni templa incluta erant loca Isthmi, Taenari, Onchesti Hyantii, Calaureae, Geraesti, propter eius facta fons Lerne et rupes Haemonia<sup>7)</sup> (III, 1239 sqq.). Iunonis sedes est Samus insula, antea Parthenia nominata, quod illa, cum iam virgo esset, ibi educabatur (I, 187 sq.)<sup>8)</sup>; atque ex ipsius insulae fluvio Imbraso appellatur Imbrasia (ib.), et e Thessalica Pelasgo Pelasgis (I, 14). Minervae e lacu Tritone et monte Itone sunt Tritonis et Itonis<sup>9)</sup> cognomina indita (I, 109, IV, 1309, I, 551). Venus in monte Eryce (IV, 915) colebatur, cum Vulcano marito Lemnus insula sacra esset (I, 850 sq., 859). Dionysus ex India reversus Thebis domicilium collocasse dicitur (II, 908):

Leo Pellaeus vixit Alexandri Magni temporibus: cfr. Mueller, ibid. II, 334.

<sup>1)</sup> II, 2.

<sup>2)</sup> Cfr. Reinganum, Geschichte der Erd- und Länderabbildungen der Alten. Jena 1839, p. 1 sqq.

<sup>3)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. II, 1211 et 1217. — cfr. Herod. III, 5. — Strab. 760, 763.

<sup>4)</sup> Cfr. schol. Ap. Rh. II, 505.

<sup>5)</sup> I, 307 sqq., 418 sq., 536 sqq.; III, 1239 sqq.

<sup>6)</sup> Cfr. II, 676.

<sup>7)</sup> Cfr. schol. ad Pind. Pyth. IV, 246.

<sup>8)</sup> v. supra p. 8.

<sup>9)</sup> Cfr. Wentzel, Ἐπικλήσεις sive de deorum cognominibus etc. Gotting. 1890, I, p. 8, II, p. 8, VII, p. 38 et 40.

sacrum est ei Aulum antrum ad Callichorum fluvium situm, ut supra vidimus. — Sed haec hactenus.

Quoniam ad finem propositi pervenimus, iam statuere possumus Apollonium in carmine suo, cum per totum fere terrarum orbem, qui quidem tum notus fuerit, per Graeciam Pontique oras, per Istrum Hadriamque, per Eridanum Rhodanumque, per Italiae Libyaecque litora nos circumducat, satis multas res geographicas exhibere: quas quibus e fontibus hauserit singulas, quamquam exquirere non potuimus, tamen nonnullorum auctorum vestigia indagavimus eosque ipsos fuisse locupletissimos vidimus, ut Deilochum, Nymphidem, Nymphodorum, Timagetum; atque ipsas eas res, quas unde Apollonius mutuatus sit scimus, ad geographicam notitiam augendam et illustrandam maxime valere percepimus, et ea quae de Cyzico Heracleaque traduntur, et barbararum gentium descriptiones, et quae de Istro exponuntur opinones. Sed cetera quoque digna quae uberioris tractarentur fuisse sentio: testimonio enim sunt in Apollonio geographiae scientiam fuisse satis magnam.

#### Addenda.

ad p. 49 sqq. cfr. Διονυσίου Βυζαντίου ἀράπλους Βοσπόρου, Dionysii Byzantii de Bospori navigatione quae supersunt etc. ed. Wescher, Paris 1874, et quae de hoc libro disputavit Wieseler, Götting. gel. Anz. 1876 p. 321 sqq.

HUBERTUS SCHMIDT:

OBSERVATIONES ARCHAEOLOGICAE  
IN CARMINA HESIODEA.

---



CAROLO ROBERT

S.

In prooemio agitur: de novem Musis, de Promethei et Atlantis  
poenis in patera Cyrenaea pictis, de Atlantis et Noctis imaginibus  
in arca Cypseli expressis.

Deinde agitur:

1. De Prometheo et Pandora.
  2. De Veneris ortu.
  3. De caede Medusae.
  4. De Typhoeo.
  5. De Iovis ortu.
  6. De ara Pergamena.
  7. De Herculis cum Cyeno pugna, quae in Scuto Herculis  
tradita est.
-

Ex Homeri et cycli epici qui vocatur carminibus cum pleraque antiquioris artis monumenta, ea scilicet, quae ad septimum et sextum saeculum recedunt, pendere paene omnes artis interpretes aut cognoverint aut concesserint, Hesiodea carmina quomodo ab artificibus Graecis illustrata sint adhuc nondum satis perquisitum est. Immo sunt, qui omnino ulla eorum vestigia in monumentis Graecis extare prorsus negent, velut Brunnius in Actis Academiae Monacensis 1889 p. 73 sqq.

Primus Luckenbachius in dissertatione, qua quomodo vascularum Graecorum picturae cum epico cyclo cohaereant docte et accurate disputavit,<sup>1)</sup> de Hesiodo quoque nonnulla protulit, e quibus proficiscendum esse puto.

Agitur enim de Musis; Hesiodum primum novem Musas enumerasse eisque nomina dedisse omnibus notum est: theog. 76

*ἐννέα θυγατέρες μεγάλον Διὸς ἐκγεναῖαι  
Κλειό τ' Εὐτέρπη τε Θάλειά τε Μελπομένη τε  
Τερψιχόρη τ' Έρατώ τε Πολύμνιά τ' Ούρανή τε  
Καλλιόπη θ'. ὃ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἀπασέων.*

Eadem fere nomina in cratere illo antiquissimo Attico, Clitiae et Ergotimi opere praeclaro, inveniuntur, in quo cum aliae minoris ordinis deae, velut Horae atque Moerae, tum Musae novem currus, quibus principes deorum ad Pelei et Thetidis nuptias vehuntur, ita comitantur, ut Calliope et Urania iuxta Iovem et Iunonem, Clio Euterpe Thalia Melpomene iuxta Neptunum atque Amphitriten, Stesichora Erato Polymnis iuxta Martem et Venerem procedant.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Jahrb. f. class. Philol. Suppl. Bd. XI, 560.

<sup>2)</sup> Pro Terpsichora Stesichorae, pro Polymnia Polymnidis nomen vas exhibet, de qua discrepantia infra disseretur. Nuper delineatum est Wien. Vorl. 1888 tab. 2. Nomina adscripta sunt:

Quaerendum igitur est, utrum e religione aut cultu pictor Musarum numerum ac nomina noverit, an ex ipso Hesiodi carmine sumpserit, quod ut enucleemus, nonnulla de Musarum apud Graecos natura et cultu<sup>1)</sup> praemittere visum est.

Musae ex antiquissimis temporibus prope Olympum montem Thessaliae, praecipue Pimplae et Libethrae in urbibus ad Pierum montem sitis, colebantur, qua de causa Ὄλυμπιάδες et Πιερίδες appellantur. Unde Musarum cultum in Boeotiam ad Heliconem montem a Thracibus qui vocantur translatum esse Strabo X, p. 471 refert. Atque initio ad Heliconem, Sicyone, Delphis, aliis locis tres Musae colebantur.<sup>2)</sup> Quo autem tempore aut loco numerus novenarius Musarum coli coepitus sit, prorsus diuidicari nequit; nam quae Pausanias tradit a Piero Macedone novum cultum conditum esse, procul dubio posterioris aetatis commenta sunt, fortasse ab ipso Callipo, ad quem Pausanias provocat, excogitata.<sup>3)</sup> Quae quidem controversia ut iudicetur, antiquissima quae et in litteris et in monumentis de Musarum numero inveniuntur testimonia examinanda atque pensitanda mihi sunt.

Homerus nonnunquam Musas ita inducit, ut aut una aut complures commemorentur (Od. I, 1. 10; VIII, 63. 73. 488; Il. I, 604; II, 491; XI, 218; XIV, 508; XVI, 112). Neque vero nomina iis tribuuntur, neque ulla re ab aliis alia discernitur, quo magis est mirum Odysseae libri XXIV, 60 poetam novenarium numerum novisse. Item de novem Musis Hom. Hymn. Apoll. 11 (*μοῦσαι μὲν δ' ἄμα πᾶσαι*) cogitari potest. Tum in arca Cypseli (Paus. V, 18, 4) Musae cum Apolline ita coniunctae erant, ut epigramma de choro Musarum loqui posset<sup>4)</sup> atque vel propter spatum

---

*ΚΑΙΟΓΕ, ΟΡΑΝΙΑ, ΚΕΙΟ, ΕΥΤΕΡΠΗ, ΘΑΞΕΙΑ, ΜΕΤΟΜΕΝΕ, ΣΤΕΣΙ+ΟΠΕ, ΕΠΑ(ΤΟ), ΓΟΥΜΝΙΣ.* Initio sexti saeculi vas factum esse probabile est.

<sup>1)</sup> Cf. Deiters, Ueber die Verehrung der Musen bei den Griechen. Bonn 1868. Preller-Plew, Griech. Myth. I 399.

<sup>2)</sup> Paus. IX, 29, 2. 3; Plut. symp. IX, 14, 4. 7; Diod. IV, 7; Plut. qu. conv. IX, 3; schol. Il. B 671; Serv. Verg. Bucol. VII, 21.

<sup>3)</sup> Vid. Kalkmanni sententiam (Pausan. der Perieget p. 258).

<sup>4)</sup> Paus. V, 18, 4: *πεποίηται δὲ καὶ ἔδουσαι Μοῦσαι καὶ Ἀπόλλων ἐξάρχων τῆς φύσης· καὶ σφισιν ἐπέγραμμα γέγραπται·*

*Λατοῖδας οὗτος γά τι Φάνας ἐκάεργος Ἀπόλλων·*

*Μοῦσαι δ' ἀμφ' αὐτὸν, ζαρτεις χορός, αἷσι κατάρχει.*

novem figuris opus esset; qua cum imagine scuti Herculis descriptio (v. 201)<sup>1)</sup> optime consentit.

Quae cum ita sint, forsitan quispiam dixerit non solum Odysseae libri XXIV, quippe quem posteriore aetate factum esse constet, et Hymni Apollinis poetas, sed etiam arcae Cypseli artificem et qui scutum Herculis describeret novenarium Musarum numerum Hesiodo debuisse, cuius testimonio iam antiqui scriptores maximam tribuerint auctoritatem.<sup>2)</sup>

Nihilo secius cum cogitari possit ex ipso cultu novenarium numerum profectum esse, Welcker<sup>3)</sup> quem Deitersius (p. 24) sequitur sententia non prorsus reicienda est, qua novenarius numerus ita declaratur, ut simul cum chororum carminibus ex-colendis ternarius numerus Musarum auctus sit. Fortasse Delphis, ubi Apollo cum Musis coniungi coeptus est,<sup>4)</sup> Musarum cultus hoc modo amplificatus est, praesertim cum et in arca Cypseli et in scuto Herculis eodem modo Apollo cum Musarum choro cohaereat. Deinde etsi sexto saeculo exeunte tres Musas ab Hagelada, Canacho, Aristocle sculptas esse epigramma Antipatri<sup>5)</sup> docet, tamen in hoc nulla vestigia inveniuntur, quibus Heliconias Musas illis statuis expressas esse appareat. Immo cum Canachus et Aristocles Sicyonii, Hageladas Argivus sit, Sicyone, ubi tres Musas cultas esse Plutarchus (qu. symp. IX, 14) testatur, illas constitutas esse veri simillimum est.<sup>6)</sup> Tum mirum

<sup>1)</sup> Ἐν δ' ἦν ἀθανάτων ἱερὸς χορός· ἐν δ' ἄρα μέσσω  
ιμερόνεν κιθάριζε Διὸς καὶ Αγτόος νιός  
χρυσείη φόρμιγγι — — — — —  
— — — — — θεαὶ δ' ἔξηρχον ἀοιδῆς  
Μοῦσαι Πιερίδες λιγὸν μελπομένης εἰκνῖαι.

Cf. O. Bie, de Musarum imaginibus Berol. 1887 p. 7.

<sup>2)</sup> Vid. Deiters. l. l. p. 24.

<sup>3)</sup> Welcker, Gr. G. I 55.

<sup>4)</sup> De Musarum cultu Delphico Deiters p. 30.

<sup>5)</sup> Anall. II, p. 15, no. 35 = Anth. Pal. XVI, 220:

Τοῖς γε εἰς αἱ Μοῦσαι τῷδ' ἔσται μεν· ἡ μία λώτους,  
ἡ δὲ φέρει παλάμαις βάρβιτον, ἡ δὲ χέλνη.  
ἡ μὲν Αριστοκλῆς ἔχει χέλνη, ἡ δὲ Ἀγελάδα  
βάρβιτον, ἡ Καναζᾶ δὲ ὑμνοπόλονς δόνακας.  
Ἄλλ' ἡ μὲν χράντειος τόνου πέλει, ἡ δὲ μελῳδός  
χρώματος, ἡ δὲ σοφᾶς εὐρέτις ἀρμονίας.

<sup>6)</sup> Cf. Deiters p. 33; O. Bie p. 18.

esset Boeoticum poetam a cultu domestico, si tres Musae illa aetate ad Heliconem cultae essent, suo Marte discrepasse, ut potius novem quam tres tum fuisse Heliconias Musas ex Hesiodi testimonio concludere nobis liceat. E posteriore scilicet aetate certum exstat vestigium, unde appareat etiam in cultu Heliconio novenarium numerum sanctum et confirmatum fuisse; dico duos choros novem Musarum, quos a Cephisodoto eiusque sociis Strongylione Olympiosthene quinto saeculo exeunte vel ineunte quarto factos atque in Musarum sacro ad Heliconem sito collocatos esse Pausanias (IX, 30, 1) tradit. Paullatim igitur ad Heliconem ipsum pro vetustissimo ternario numero novem illae Musae videntur exstitisse, initio carentes certis nominibus, quae ab ipso Hesiodo inventa esse e sequentibus elucebit.

Nomina enim novem Musarum nisi ab Hesiodo aut ab iis poetis scriptoribusve, qui ex illo pendeant,<sup>1)</sup> tradita non sunt. Significatio eorum in universum ad omne genus gaudii atque voluptatis humanae spectat, ut' suo arbitrio ipsum poetam novem Musis iam pridem cultis aut notis nomina tribuisse Deitersius p. 25 rectissime censere mihi videatur.

Haec cum ita sint, facere non poterimus, quin Clitiam pictorem ex Hesiodi Theogonia nomina Musarum hausisse putemus, praesertim cum vel in figurarum dispositione Hesiodi enumerationem accurate sequi videatur; nam quam poeta Musarum omnium praestantissimam vocat, Calliopam (*Καλλιόπη θ'*: ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἀπασέων) pictor quoque non solum ceteris sororibus praeposuit, sed et faciei corporisque adversa positione et instrumento musico, syringe scilicet qua sola utitur, cum ceterae omnes instrumentis careant atque voce canentes repraesentatae sint, mirum in modum praeccellere voluit. Secundum ab ea locum Urania tenet, quae in Hesiodi quoque catalogo proxime a Calliope abest v. 78. 79:

*Oὐρανή τε*

*Καλλιόπη θ'*: ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἀπασέων;  
præterea Urania vel ipso nomine ad caelestium comitatum destinatur; itaque hae duae Musae Iovis et Iunonis currum sequuntur.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Plat. Phaedr. p. 259.

<sup>2)</sup> Cf. Plat. Phaedr. l. l.: τῇ δὲ πρεσβυτάτῃ *Καλλιόπῃ* καὶ τῇ μετ' αὐτὴν *Οὐρανίᾳ*.

Ceterae autem omnes eodem ordine in imagine se excipiunt, quo in carmine enumerantur, ita ut primae illae quattuor componantur, quae v. 77:

*Κλειώ τ' Εύτέρη πη τε Θάλειά τε Μελπομένη τε*  
appellantur, deinde autem sequantur, quae v. 78:

*Τερψιχόρη τ' Έρατώ τε Πολύμνια — — —*  
reliquae sunt.

Haec cum casu quodam accidisse vix credibile sit, accurate Hesiodea nomina vel potius versus ipsos memoria pictorem tenuisse iudico. Quoniam autem pro Terpsichora et Polymnia, quae nomina codices exhibent, Stesichoram et Polymnida in pictura ponit, quaestio non supervacanea nobis oboritur, num memoriae lapsu Clitias a poeta abscesserit, an in libro vetustissimo hae nominum formae extiterint; neque enim proprio Marte eum nomina commutasse credi potest.<sup>1)</sup> Atqui certa ratione quaestionem dijudicare difficile est. Id tantum dici potest versum

*Στησιχόρη τ' Έρατώ τε Πολύμνις τ' Οὐρανή τε*

tradita lectione deteriorem non esse. At etiamsi Clitias versum in suo Hesiodi exemplo ita legisset, tamen ne tum quidem constaret, genuinas has esse nominum formas, quia iam antiquitus varias lectiones in Hesiodi exempla irrepsisse cogitari potest. Id autem optimo iure iudicare licet nullo modo has Clitiae lectiones ab Hesiodi editoribus neglegendas esse atque re vera cratera nobis antiquissimi Theogoniae codicis instar esse, quod Luckenbachius negat in sermonis consuetudine pro *Πολυμνία* facillime poni potuisse *Πολυμνίς* dicens. At *Στησιχόρη* pro *Τερψιχόρη* si dicitur, notio ac vis vocis prorsus alia fit. Sane paullatim Stesichorae nomen oblitteratum est. Plato enim cum Hesiodearum Musarum munera illustrat, Terpsichorae nomen in Hesiodi codicibus legit: Phaedr. p. 259 C. *Τερψιχόρᾳ οὖν τοὺς ἐν τοῖς χοροῖς τετιμηκότας αὐτὴν ἀπαγγέλλοντες ποιοῦσι προσφιλεστέρους.*

<sup>1)</sup> L. Schmidtius *Πολυμνίς* scribere voluit; contradicit Luckenbachius. O. Bie l. l. p. 7 pictorem ne ordinem quidem Hesiodi servare studuisse censet, quod Trendelenburgius (Der Musenchor. Winckelmannsprogr. Berol. 1876 p. 11) recte statuit.

Posteriore autem aetate quoniam plane promiscue Musarum nomina et insignia ex arbitrio unius eiusque artificis adhiberi O. Bie in dissertatione sua p. 13 sqq. satis idoneis exemplis demonstravit, Hesiodea nomina illis tribuere nulla ratione comprobatur. Nam quamquam duo exstant exempla, quae novem Musas certe nobis praebent,<sup>1)</sup> novenario numero solo non confirmatur Hesiodi enumerationem artifices secutos esse.

E vulgari igitur opinione cultu Musarum confirmata hauserunt.

Similiter ac de Musarum nominibus res se habet in Prometheus fabula, cuius rei exemplum praeclarum praebet phiala nigris figuris ornata, Caere in oppido Etrusco eruta,<sup>2)</sup> quam Cyrenis fabricatam esse hodie omnes concedunt.<sup>3)</sup> In hac con-

<sup>1)</sup> Huc pertinet amphora Monacensis 805 (Él. céram. II, 86. Arch. Ztg. 1860 tab. 139. 140) rubris figuris exornata, in qua cum aliae et heroicae et communis vitae res, tum novem Musae variis instrumentis musicis praeditis, velut cithara, lyra, trigono, cistis, notis musicis evolutis, apparent.

Deinde commemorandum est Praxitelis anaglyphum in Latoiae simulacri basi factum atque Mantineae erutum (Fougères, Bullet. de corr. hell. 1888 p. 105, pl. 1. 2. 3. Overbeck, Sitzber. d. sächs. Ges. 1888 p. 284. Kunstmthy. III 457). In verbis Pausaniae (VIII, 9, 1: πεποιηέντα ἐστίν επὶ τῷ βάθρῳ Μοῦσαι καὶ Μαρσύας αὐλῶν) lectionem *Moūsai*, quam Fougeresius conjectura *Moūsai* emendare conatus est, tenendam et artis eidam interpreti tribuendam esse ipsa anaglypha docent. Tria enim exstant, quorum singula ternas figurae exhibent. In antico et primario latere certamen Apollinis et Marsyae representabatur: Apollo, longa tunica cincta et pallio circumvuluto vestitus, sinistra manu phorminga tenens, dextra pallii laciniam suscipiens dextrorsus in saxo sedet; Marsyas in dextro latere tibiis Phrygiis canit; in medio scytha cultellum tenens apparet, qui Marsyam certamine victum et a deo ad supplicium datum magnis cruciatibus vexaturus sit. In ceteris duobus anaglyphis ternae Musae expressae sunt, ut quartum ubi reliquae tres Musae representandae erant latus interisse apertum sit. Instructae autem sunt variis instrumentis musicis atque signis ad artem musicam pertinentibus. *Moūsai* scilicet quamquam in anaglyphis exstabant, tamen Apollinem longa tunica indutum atque in saxo sedentem, quem praeter ceteras omnes figurae spectantibus ante oculos versari opus est, esse unam e Musis Pausanias vel eius auctor putavit ceteris baseos lateribus neglectis.

<sup>2)</sup> Gerhard, A. V. B. II, 86. Mueller-Wieseler, D. A. K. II 64 no. 825. Baumeister, Denkm. d. kl. Altt. III 1411 fig. 1567.

<sup>3)</sup> Studniczka Kyrene p. 1 sqq.

spicimus virum imberbem, manibus et pedibus ad columnam Doricam, cui avis quaedam, fortasse gallus, imposita est, a tergo vinetum; eius in gremio aquila sedet iecurque lacerat. Contra hunc virum, cuius dolorem labella compressa et oculi prae-minentes optime exprimunt, alter vir bárbarus adstat, qui magnam molem, quae saxi figuram habet, sed certe caelum repraesentat, summa omnium virium contentionе humeris portat. In sinistra imaginis parte ad spatium explendum serpens delineatus est. Sine dubio Promethei et Atlantis poenae<sup>1)</sup> repraesentantur, quas eodem modo etiam Hesiodus, ubi de Iapeti genere agit,<sup>2)</sup> his versibus componit Theog. 517—525:

*"Ατλας οὐρανον εύρὺν ἔχει κρατερῆς υπ' ἀνάγκης πείρασιν ἐν γαῖης, πρόπαρος Ἐσπερίδων λιγνφώνων, ἑστηῶς κεφαλῇ τε καὶ ἀκαμάτεσσι χείρεσσι. ταύτην γάρ οἱ μοῖραν ἐδάσσατο μητιέτα Ζεύς. δῆσε δὲ ἀλυκτοπέδησι Προμηθέα ποικιλόβουλον δεσμοῖς ἀργαλέοισι μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας. καὶ οἱ ἐπ' αἰετὸν ὁρσε τανύπτερον· αὐτὰρ ὁ γ' ἡπαρ ἥσθιεν ἀθάνατον, τὸ δὲ ἀεξετὸν ἵσον ἀπάντη νυκτός, ὃσον πρόπαν ἡμαρ ἔδοι τανυσίπτερος ὄφης.*

Vides consensum talem esse, ut phialae Cyrenaicae imaginem ad versus illos illustrando compositam esse summo iure contendere possis. Nam Atlas et Prometheus nisi ab Hesiodo et qui eum imitatus est Aeschylo in Promethei vinci versibus 395 s. 425 nusquam coniunguntur. Neque certe initio coniuncti sunt, cum alter in Othrye monte, alter in Peloponneso patriam habeat, uti M. Mayerus recte exposuit in libro de Gigantibus

<sup>1)</sup> Promethei vicinum hic esse Atlantem primus Welckerus A. D. III 192 dixit, quamquam alii ad Sisyphi fabulam imaginem rettulerunt, velut Capraneius (Bullet. d. J. 1835 p. 41), Gerhardius (A. V. B. II p. 20), Murrayus (Rev. arch. 1878 p. 201). Sisyphi poena prorsus aliter repraesentari solebat; vid. Inghirami vas. fitt. II, 135, Polygnoti Necyiam, alia.

Non recte Studniczka (Kyrene 120) in hac phiala de Arcade Atlante (cf. M. Mayer, Giganten und Titanen p. 87) cogitat. Nam non ex traditione populari, sed ex Hesiodi carmine artificem hausisse supra demonstravi; si Prometheum certe ex Hesiodo sumpsit, de Atlante idem statuendum est.

<sup>2)</sup> Copiosius de tota Hesiodi narratione infra disseretur.

scripto p. 87. Accedit, quod regiones, in quibus uterque poenas solvit, quam diversissimae sunt; Atlas in finibus terrae prope Hesperidum hortos caelum portat, Prometheus, si Hesiodium sequeris, in ipsa Graecia, si Aeschylum, in Caucaso cruciatur; atque ipse Aeschylus Atlanta a Prometheo longo spatio divisum esse indicat. Summi vero momenti est, quod Promethei poena a pictore ita est repraesentata, ut poeta illis versibus significat, qua de re infra plus proferam. Itaque soli Hesiodi versus artificem Cyrenaeum, ut imaginem in phiala componeret, commovere potuerunt, quod iam Furtwaenglerus (Arch. Ztg. 1885 p. 227) recte iudicavit.

Denique arcae Cypseli artifici Theogoniam Hesiodeam notam fuisse vel versus ille Atlantis figurae adscriptus docet (Paus. V, 18, 4)

*Ἄτλας οὐρανον οὗτος ἔχει, τὰ δὲ μᾶλα μεθίσει,*  
quem ad Hesiodi exemplum (Theog. 523)

*Ἄτλας οὐρανον εὐρὺν ἔχει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης*  
factum esse Robertus v. d. dicit (Hermes XXIII 440, not. 3).

Huc accedit Nox una cum Somno et Morte filiis, quorum illum album, hunc nigrum bracchiis matris sublevatos in latere sinistro arcae locum habere voluit (Paus. V, 18, 1). Nam quamquam Somnus et Mors fratres iam Homero ubi de Sarpedonis morte agit noti sunt, Noctem matrem horum geminorum certe Hesiodus demum in genealogiarum ordine excogitavit.

Artifices igitur Atticos Cyrenaicos Corinthios VII. et VI. saec. Hesiodi Theogoniam legisse atque in imaginibus componendis consuluisse certis exemplis evicimus.

Itaque operae pretium est quaecunque Hesiodi exstant carmina ita perquirere, ut omnes fabulae quae in iis vel diserte narratae vel obiter commemoratae sunt cum monumentis superstitionibus quae easdem res praebent comparentur. Qua in re ita procedam, ut primum de Theogonia et Operibus, deinde de Cycni fabula in Scuto Herculis enarrata agam.

Ex iis quae Theogoniae et Operibus propriae sunt fabulis eae eligendae esse mihi videntur, quae sunt de Prometheo et Pandora, de Veneris ortu, de caede Medusae, de Typhoeo, de Iovis ortu; accedet quaestio de nonnullis deis deabusque, qui in ara Pergamena cum gigantibus pug ant.

## 1. De Prometheo et Pandora.

Promethei et Pandorae fabulae, quamquam initio nulla inter eas intercessit ratio, tamen in Theogonia (v. 507 sqq.) et in Operibus (v. 47 sqq.) arte coniunctae sunt, quam ob rem etiam hoc loco simul cum Prometheo Pandoram tractare posse mihi videor. Neque enim genuinas et vulgares fabulas cognoscere nobis propositum est, sed duas illas narrationes accurate comparare, ut perspiciamus, utrum easdem an diversas fabulae formas praebent.<sup>1)</sup>

In Theogonia principiis omnium rerum eorumque prole vv. 116—122—132 tractatis Terra et Urani conubium singulique eorum liberi, qui vocantur Titanes,<sup>2)</sup> Coeus Crius Hyperion Iapetus Theia Rheia Themis Mnemosyne Phoebe Tethys Cronus, vv. 133—138 commemorantur. Quorum stirpes cum singulatim vv. 337 sqq. post Ponti liberos tractavisset, poeta ad Iapeti et Clymenae gentem (v. 507) pervenit, quorum liberi sunt Atlas Menoetius Prometheus Epimetheus. Quod de unoquoque memoria dignum est, narrat, non quo novi quidquam de illis referre in animo habeat, sed ut paucissimis verbis Iapetidum fatum attingat: de Epimetheo vv. 512—514, de Menoetio vv. 514—516, de Atlante vv. 517—520, de Prometheus vv. 521—531. Initio autem alia fabula in alia regione orta vel collocata erat, Promethei in Othrye monte, Atlantis in Arcadia, Menoetius vero Plutonis pastor est (Preller-Plew II 212, 1. 223) atque Epimethei figura ad Promethei exemplum a poeta quodam ficta esse videtur. Itaque brevissimam hanc narratiunculam non ipse Hesiodus procreavit, sed ab alio quodam poeta mutuatus est, a quo accuratius ac planius eadem res tractatae erant.<sup>3)</sup>

De Promethei fabula versibus, quos commemoravi, nihil aliud narratur, nisi quomodo Prometheus a Iove punitus atque ab Hercule liberatus sit. Qua re non contentus poeta, quoniam Promethei fabula optima praecepta atque sententias utilissimas

<sup>1)</sup> De Promethei fabula Schoemannus (opusc. acad. II 264), Preller-Robert (Gr. M. I 94), Maximilianus Mayer (Giganten und Titanen 86) satis mihi dixisse videntur, ut eam accuratius tractare supersedeam.

<sup>2)</sup> Cf. A. Meyer, De compos. Theog. Hes. Diss. Inaug. Berol. 1887 p. 20 sqq.

<sup>3)</sup> Vid. Schoemannum Hes. Theog. 208.

ei videtur praebere, etiam causam poenae vv. 535 sqq. addit ex eodem fonte sumptam. Contra versus 532—534 nulla alia de causa compositi sunt, nisi ut causam rei cum re ipsa coniungant. Quid autem omnino poeta voluerit, optime appareret e versibus 613—616: Iovis enim, potentissimi dei, imperium exemplo Promethei celebrare vult.

Prorsus alia est ratio poetae in Operibus. Eam quidem partem, in qua de Prometheus et Pandora agitur vv. 47—105, non esse genuinam, sed a consarcinatore antiquissimo additam paene inter omnes constat. Atque profecto sententias melius inter versus 46 atque 109 sqq. connexas esse puto quam inter 46 et 47.

Sed in Operibus Prometheus et Pandorae fabula non Iovis celebrandi causa additur, sed ut apertum sit, unde omnia mala inter homines venerint. Nam antecedentibus versibus homines a principio omnibus miseriis atque calamitatibus caruisse, nunc maximis difficultatibus opprimi — nam v. 42 *χρύψαντες γὰρ ἔχοντι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι* — breviter exponitur.

Quod ad singulas res attinet, de fraude atque poena Prometheus aut de Herculis auxilio omnino non est sermo, sed breviter attingitur causa v. 48: *ὅτι μν̄ ἐξαπάτησε Προμηθεὺς ἀγκυλομήτης*. Hac enim de causa Jupiter ignem hominibus non dat<sup>1)</sup>, sed Prometheus ignem surreptum apportat. Quo

<sup>1)</sup> v. 47: *ἄλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε . . . .*

v. 50: *χρύψε δὲ πῦρ . . . .*

Hoc nihil aliud significat ac theog. 563 *οὐκ ἐδίδον*; atque voce *χρύπτειν* poeta Operum utitur, quod supra v. 42 verba exstant: *χρύψαντες γὰρ ἔχοντι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι*. Tamen Schoemannus l. l. p. 279 sic statuit: „usu quidem ignis homines ante non caruisse, ipsum tamen ignem in potestate non habuisse, sed hanc penes deos solos fuisse. Nempe in illo convictu et communione vitae, quae olim fuerat, homines ipsos ignem habere non opus erat, si quidem omnia, quae sine igne confici nequeant, a diis accipiebant.“ — Si hominibus ignem habere non licebat, usu eius certe carebant; aut si penes deos solos ignis erat, homines omnino non poterant eo uti. Dilucide Theogoniae poeta rem significat v. 563: *οὐκ ἐδίδον μελέοισι πυρὸς μένος ἀκαμάτοιο θητοῖς ἀνθρώποις, οἱ ἐπὶ χθονὶ ναιετάνοι*. Novum igitur atque ignotum hominibus Prometheus ignem detulit, quam ob rem ipsam ὁ πυρφόρος θεός appellatur (Soph. Oed. Col. 56) atque in academia Atheniensi simul cum Hephaesto colebatur.

furto iratus Iupiter maximum malum creat: mulierem vv. 60 sqq.  
Eandem autem poenam Theogoniae poeta novit vv. 570 sqq.

Quaeritur igitur, quid intersit inter Theogoniae et Operum mulieres.

In Operibus mulier a Mercurio ad Epimetheum ducitur atque Prometheus valde dissuadente ab illo accipitur; domi autem eius magnum illud dolium<sup>1)</sup>, quo omnia mala abseondita erant, reclusit, ut illa inter homines, qui usque ad illud tempus felicissimi erant, immiscerentur praeter spem, quae sola intus remansit.

Contra in Theogonia (v. 585) mulier in contionem deorum atque hominum ducitur, quam eandem esse ac v. 535 veri est simillimum. Sed v. 589 narratio subito subsistit neque comperimus, quid faciant dei muliere.

Schoemannus igitur mulierem in Theogonia omnino primam atque omnibus hominibus datam esse, ita ut ceterae omnes

---

De interpretatione versuum 47—50 Steitzius et *βίον* (v. 47) et *πῦρ* (v. 50) Iovem occultasse dicit. Rectius Schoemannus (Hes. rel. 19), quem Hillerus (Jahrb. f. class. Phil. 1870 p. 311) sequitur: „apparet poetae nihil admodum interesse visum esse, hocine (*χρύψε δὲ πῦρ*), an illud (*ἐχρύψε βίον*) diceretur, sed eodem utrumque redire, propterea scilicet, quod igne subducto necesse fuerit omnem hominum vitam miseram et laboriosam fieri.“ Sane. Sed quoniam vv. 47 sqq. postea additi sunt, equidem locum hoc modo interpretari malim: propter fraudem Prometheus (v. 48) Iupiter non victimum simul et ignem occultat, sed ignem solum; ad *ἐχρύψε* verbum (v. 47) sine dubio pertinet *πῦρ* accusativus, non supplendus, sed ita coniungendus, ut post parenthesin (v. 49 *τοῦνεκ' ἄρ' ἀνθρώποισι ἐμήσατο κῆδεα λυγρά*) repeatatur *ἐχρύψε* cum accusativo *πῦρ*. Scilicet vv. 47. 48 non esse secernendos a versibus 49. 50 contendeo contra Kirchhoffium (Hesiod's Mahnlieder an Perses 1889 p. 40. 44). Qui vir doctissimus vv. 49—197 a versibus 11—48 seccernit: hos esse carmen primum per se solum intellegendum, illos postea additos. Et recte quidem. At vv. 47 et 48 melius cum antecedentibus quam cum sequentibus non cohaerent; nam supra v. 42 omnes deos (*θεοί*) victimum occultasse poeta dicit, v. 47 nominat Iovem solum. Ad quem finem? Quid enim occultavit? *βίον?* Male hoc repetitum esset. Immo vero *πῦρ* occultat. Fabulae diversae sunt.

<sup>1)</sup> Ubi hoc dolium fuerit atque unde venerit, poeta omisit dicere, quasi malorum dolium tum omnibus notum esset; cf. Schoem. l. l. p. 281 sq.

mulieres ex illa natae sint, in Operibus soli Epimetheo uxorem datam prorsus ab illa diversam esse censem, quoniam non prima fuerit atque dolio illo malorum aperto omnibus hominibus calamitati fuerit.

At Theogoniae mulierem non diversam esse ab Operum uxore Epimethei e versu Theog. 512 appareat, ubi de Epimetheo legimus:

δες κακὸν ἐξ ἀρχῆς γένετ' ἀνδράσιν ἀλφηστῆσι·  
πρωτος γάρ ὁ Λιός πλαστὴν ὑπέδεκτο γυναικα  
παρθένον.

Inde cognosci potest eam mulierem, quam Epimetheus in matrimonium duxit, omnino primam omnium fuisse, quoniam „πρωτος“ a Iove illam accepit. Huc accedit, quod et in Theogonia et in Operibus mulier e luto a Vulcano fingitur, quod absurdum esset, si iam aliae mulieres inter homines exstisset. Itaque facere non possum, quin Operum uxorem Epimethei eandem fuisse ac de qua in Theogonia agitur, censem.

In ea autem, e qua Theogoniae poeta rem hausit, fabula quomodo mulier a deis deabusque ornata ad Epimetheum venirerit, querere par est.

In ipsa Theogonia (v. 585 sqq.) in concilium deorum atque hominum dicitur, de quo v. 535 sermo est; atque fortasse cogitandum est ea occasione Epimetheum uxorem accepisse. At cum in eodem concilio igne a Prometheo delato atque muliere a Iove creata talia facta esse verisimile non sit, ab ipso Theogoniae poeta hunc exitum excogitatum esse iudico atque ideo excogitatum, quia ut ad mulierum vituperationem v. 590—612 transeat narratione abrupta cetera de muliere prima referre omittit. Qua ratione ad Operum fabulam ducimur, ubi Mercurius mulierem ad Epimetheum dicit, quod optime cum ceteris fabulae partibus bene excogitatis convenit.

Contra gravissimum argumentum quo quam diversae sint Theogoniae et Operum narrationes demonstretur, in Pandorae nomine (Opp. 69—82) positum est, quod in Theogonia omnino non exstat.

Iam satis disseruerunt viri docti<sup>1)</sup> quomodo hi versus ab

<sup>1)</sup> vid. Fr. Schoellum (Satura philol. S. Saupio oblata p. 133 sqq.) et Kirchhoffum (Hes. Mahnlieder p. 46 sqq.).

antecedentibus (vv. 60—68) discepent, quod v. 61 Vulcano Iupiter mandat, ut mulieri ex humo factae vocem humanam do- net, v. 79 Mercurius id facit, deinde quod v. 72 Minerva ea efficit, quae Iupiter v. 62 omnino non vult, tum quod non Venus (v. 65), sed Gratiae Horae Peitho mulierem ornant; praeterea Schoellius suo iure „ $\omega\varsigma \ \xi\varphi\alpha\tau'$ “ v. 59 et v. 69 positum vituperat, praesertim cum v. 69 oratio omnino non antecedat. Quibus de causis Schoellius vv. 71—72 e Theogonia (570. 571) sumptos et vv. 69—82 operum poetae abiudicandos esse et ne novisse quidem eum nomen primae mulieris censem. Lehrsius autem (quaest. ep. 228) spurios esse vv. 81. 82 atque carere certo nomine primam mulierem, quam appellaverint dei „ $\gamma\nu\tau\chi\alpha$ “, arbitratur. Kirchhoffius denique (p. 48) vv. 49—68 et 83—89 a versibus 69—82 et 90—103 secernit.

Theogoniae poetam, quamquam vv. 571—589 ortum primae mulieris copiose describit, Pandorae nomen non commemorasse certum est; itaque ne novisse quidem est probabile. Neque vero Operum poetam de Pandora nihil novisse sequitur. Immo vero num ipse Epimethei uxori nomen Pandorae dederit, quaeritur. Neque enim causam video, cur ab alio quodam interpolatore vv. 69—82 et 90—103 postea additos esse iudicemus. Nam vv. 90—103 optime cum v. 89 cohaerent, quia cur Pandora omnibus hominibus summo malo fuerit, declarant, quam causam addere ipso versu 89 commendatur:

*αὐτὰρ ὁ δεξάμενος, ὅτε δὴ ξακὸν εἰχ' ἐνόησε;*  
atque vv. 83 sqq. a versu 82 secerni non posse infra apparebit.

Pandora enim est Terrae Deae cognomen (Arist. Av. 971 c. schol. Philo de inc. mundi 7) et similem significationem habet atque Anesidora (Paus. I, 31, 4. Plut. quaest. symp. 745 B). Quam esse primam mulierem Plato Menex. 238 dicit. Sed haec Pandora dea ab Hesiodea prima muliere sine dubio prorsus diversa est. Deinde non omissendum est Pandoram in Hesiodi Catalogis fr. 21 Rzach. Promethei uxorem, Deucalionis matrem fuisse; atque eisdem in Catalogis fr. 24 Pandora erat Deucalionis filia, quae Iovi Graecum peperit. Videmus igitur varias esse Pandoras in antiquissimis genealogiis. Cur autem Operum poeta mulierem a deis primam fictam appellaverit Pandoram, falsa etymologia nominis ab ipso excogitata docet v. 81. 82:

ὅτι πάντες Ὄλύμπια δόματ' ἔχοντες  
δῶρον ἐδάρησαν πῆμ' ἀνδράσιν ἀλφηστῆσιν.

At ut Anesidora, ita Pandora non passivam, sed activam vim habet atque eam, quae hominibus quaecumque eis opus sunt dat, i. e. naturam vel terram significat. Comparari potest nomen **Πολυδώρα**. Ipse igitur Operum poeta Hesiodeam primam mulierem, quae a deis creata est, cum Pandora, quae ad terram spectat, coniunxit. Eadem causa esse mihi videtur, cur vv. 69—82 plures deos atque deas primam mulierem ornantes quam antecedentibus versibus enumeraverit. Quoniam autem ad suam etymologiam poeta ipse v. 85 (*δῶρον ἄγοντα*) atque v. 86 (*μήποτε δῶρον δέξασθαι*) alludit, neque Schoellium neque Lehrsum neque Kirchhoffium de versibus 81—89 recte iudicare eluet.

Discrepantias igitur, quas supra commemoravi, non interpolatori cuidam, sed compilatori Operum mediocri ipsi opprobrio esse censeo, quod iam Schoemannus l. l., Hillerus (Jahrb. f. class. Phil. 1870 p. 312), Bergkius (Gr. Litg. I, 949) dixerunt.

Ad Pandorae nomen accedit magnum illud dolium, quo omnia mala abscondita erant.<sup>1)</sup> Nam quoniam in Theogonia mulier prima ipsa hominibus malo, in Operibus causa omnium malorum est, quaerendum est, qua ex re haec dissensio declarari possit. Dolia bonorum et malorum in Iovis aedibus inveniuntur in Iliade Ω 525—533.

ώς γάρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσιν  
ζώειν ἀχρυμένοις· αὐτοὶ δὲ τὸ ἀκηδέες εἰσίν.  
δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείσται ἐν Διὸς οὐδεὶ<sup>ν</sup>  
δώρων οἷα δίδωσι, κακῶν, ἔτερος δὲ οὐαί.  
φὶ μέν καὶ ἀμμίξας δοίη Ζεὺς τερπικέραυνος,  
ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὁ γε κύρεται, ἄλλοτε δὲ ἐσθλῷ.  
φὶ δέ τε τῶν λυγρῶν δοίη, λωβητὸν ἔθηκεν.  
καὶ εἰ κακὴ βούθρωστις ἐπὶ χθόνα δῖαν ἐλαύνει,  
φοιτᾷ δὲ οὔτε θεοῖσι τετιμένος οὔτε βροτοῖσιν.

Cum his comparari potest Aeoli follis, (Od. x 19 sqq.), quo mali venti retinebantur. Ex his igitur fabulis dolium malorum compilatorem Operum excogitasse veri est simile.

<sup>1)</sup> Cf. Philodem. περὶ εὐσεβείας 130 p. 51 Gomperz. et Babrium f. 58, qui varias fuisse de dolio fabulas docent.

Cetera autem omnia ex Hesiodi Theogonia eum sumpsisse vel inde apparet, quod quamquam dolio malorum a prima muliere aperto homines omnibus miseriis et calamitatibus obrutos esse cogitat, tamen in Operibus verba exstant, quibus ipsa mulier malum significetur, velut v. 57:

*τοῖς δὲ γὰρ ἀντὶ πυρὸς δάσω κακόν, φένεν ἀπαντες  
τέρπωνται κατὰ θυμὸν ἐὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες,*

vel v. 87:

*ἄλλ' ἀποπέμπειν*  
*ἔξοπίσω, μή πού τι κακὸν θηγοῖσι γένηται.*  
*ἀντὰρ ὅδε ξάμενος, ὅτε δὴ κακὸν εἴχεν, ἐνόησε.*

Atque eadem re declaratur, quod Theogoniae et Operibus multi versus multaque verba communia sunt, si conferas Theog. 565 et Opp. 48. 50, Theog. 566 et Opp. 51, Theog. 558 et Opp. 53, Theog. 571 et Opp. 70, Theog. 572. 573 et Opp. 71 et 72, Theog. 589 et Opp. 83, Theog. 613 et Opp. 105.

Nunc ad monumenta transeamus, quae singulatim tractare expedit.

### a) de Prometheo.

Non omnia quae ad Promethei fabulam pertinent monumenta numerare et illustrare, sed ea tantummodo eligere in animo habeo, quae ad antiquiorem aetatem, i. e. ad septimum vel sextum saeculum referenda sunt; pertinent autem ad poenam Promethei.

Qua in re duae fabulae formae distinguendae sunt: Hesiodea, quam modo cognovimus, et Aeschylea in tragœdia, quae inscribitur *Προμηθεὺς δεσμότης*, tradita. Apud Hesiodum Prometheum ad columnam, apud Aeschylum ad Caucasum montem vinctum invenimus; utramque autem fabulae formam etiam artifices secuti sunt.

Antiquissimum quod cum Aeschylo consentiat exemplum est scarabeus a Furtwaenglero (Arch. Ztg. 1885 p. 223) editus, ubi Vulcanum ad Caucasum eodem quo Aeschylus vult modo Prometheus catenis ferreis alligantem videmus. Hanc Aeschyli tragœdiā inde a quinto saeculo, cuius ad finem scarabeus referendus est, artifices sequi coeperunt.

Cetera monumenta antiquiora omnia in duas classes dividi possunt, quarum prior solum Prometheus vinctum, posterior et

Promethei poenam et Herculis auxilium ostendit. Quae singula, cum de interpretatione magna sit inter viros doctos controversia, in ipso textu enumeranda atque accurate describenda esse mihi videntur.

**A. De monumentis, quae Prometheum vinctum solum exhibent.**

1. phiala Caeretana, nigris figuris ornata, Cyrenis fabricata<sup>1)</sup>, de qua iam supra p. 114 sq. locuti sumus.

2. gemma Cretica. Brit. Mus. 79.<sup>2)</sup>

Pr. barbatus, humi sedens in dextrum, utraque manu post tergum posita vinctus est. Columna aut simile quid non cernitur; a dextro latere aquila Iovis ad volat.<sup>3)</sup>

3. anaglyphi aenei fragmentum Olympiae repertum.<sup>4)</sup>

Videmus virum nudum, humi sedentem, manus a tergo tenentem; superior corporis pars mutilata est. Tota eius positio Prometheo eius gemmae, quam modo descripsi, tam similis est, ut facillime ad eandem fabulam adducamur.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Gerhard A. V. B. II, 86. Mus. Greg. II, 67, 3. Mueller-Wieseler II, 64 no. 825. Guignaut nouv. gal. myth. 158. Daremburg et Saglio Dict. des ant. I 527 fig. 616. Baumeister, Denkm. d. klass. Altert. III 1411 fig. 1567. Cf. Bullet. d. I. 1835 p. 41. Welcker A. D. III 192. Loescheke Dorp. Progr. 1879 p. 12 not. 12. Puchstein. Arch. Ztg. 1881 p. 217 no. 2.

<sup>2)</sup> Milchhoefer Anf. d. K. p. 89 no. 58. Rev. arch. 1878 tab. 20, 1. Wien. Vorlbl. Ser. D tab. 9, 5.

<sup>3)</sup> Gemma ad classem earum pertinet, quae vocantur „Inselsteine“. Neque vero tam vetusta est, sed secundum Furtwaenglerum propter stilum non ultra sextum ante Chr. saeculum referenda.

<sup>4)</sup> Milchhoefer, Anf. d. K. p. 185 fig. 68 — Wien. Vorlbl. Ser. D. tab. 9, 4. — Ausgrab. v. Olympia IV tab. 25 p. 18 no. 3. Cf. Curtius Arch. Broncerel. p. 14.

<sup>5)</sup> Furtwaenglerus (Broncef. aus Olymp. p. 95) propter magnam corporis formam de gigante quodam cogitat, fortasse de Alcyoneo, quem dormientem Hercules aggrediatur. Huic interpretationi imprimis spatii inopia obstat: Herculi aggredienti spatium non patet. Contra fieri potest, ut eodem modo, quo in gemma illa Cretica, a dextro latere aquila advolet; atque re vera duae vel tres lineae in dextro fragmenti margine apparent, quae videntur ad alas aquilae spectare.

**B. De monumentis, quae Promethei poenam et Herculis auxilium simul repraesentant.**

1. amphora nigrarum figurarum in sepulcro Etrusco apud vicum, qui la Tolfa vocatur, reperto.<sup>1)</sup>

In media pictura Prometheus barbatus, sinistrorsus altero genu nititur dextra manu sublevata, sinistra demissa.

Cum hoc fragmento aliae quaedam partes ibidem repertae coniungendae sunt (Ausgr. v. O. I. l. no. 4), ubi Hercules cum maris sene pugnat; inscriptiones adscriptae propter lambdae formam ad Argos spectant; vid. Kirchhoffium Studien <sup>4</sup> p. 97.

Cetera omnia monumenta ab aliis hic relata excludenda esse puto:

1. imago, quae interiorem phialae Cyrenaeae partem ornat (Arch. Ztg. 1881 p. 218 no. 11 tab. 12, 3), ubi vir longa veste induitus in throno sedet atque aquila a dextro latere advolat. Primus Furtwaenglerus (Arch. Ztg. 1885 p. 226) secundum monetam Arcadicam (Wien. Vorl. Ser. D. tab. 9, 4) Iovem esse illum virum recte dixit.
2. gemma (Brit. Mus. Rev. arch. 1878 pl. 20, 2 = Milchhoefer Anf. d. K. p. 89 no. 57 = Wien. Vorl. l. l. no. 6). Iam Furtwaenglerus l. l. Prometheum esse negavit; nam vir omnino non est vincetus neque stat, sed iacet, dum aquila eum vexat. Ipse vir ille doctissimus occisum quandam eum esse putat ab ave dilaceratum, quod schema in arte orientalium gentium antiquissima persaepe inveniatur. Tamen melius ad fabulam quandam refertur. Murrayus (Rev. arch. l. l. p. 202) de Ganymede cogitat, sed ipse suo iure contradicit aquilam corpus illius viri non auferre velle, sed aggredi et vexare. Itaque Robertum secutus ad Tityi poenam gemmam refero, cuius schema simile invenimus in fragmento ex argilla facto (Mittlg. d. Athen. Inst. XI 87.).
3. scuti signum militis in amphora posterioris stili Apula picti (Arch. Ztg. 1863 tab. 174). Contra militem armatum mulier stat, in media imagine puer. In altera amphorae parte virum barbatum, pallio induitum atque mulierem alteram manum porrigentem videmus; inter has figuras magna amphora cernitur. In scuto militis illius superiore corporis viri barbati quasi humi iacentis partem conspicimus, iuxta quem avis quaedam stat. Hanc scuti imaginem Oppermannus l. l. ad Promethei poenam rettulit, quod incertissimum est. Qua ex significatione profectus militem ipsum Deucalionem, mulierem Pyrrham, puerum e lapide natum esse putat, in altera imagine Epimetheum et Pandoram simul cum dolio malorum repraesentatos esse dicit.

Evidem omnes has figuras ad vitam familiarem pertinere censeo. Atque scuti imago quid significet, nescio.

<sup>1)</sup> Jahrb. d. arch. Inst. IV 1889 tab. 5, 6, 1.

Super cervice suprema stipitis pars appareat. A dextro Promethei latere aquila Iovis advolat; ab altero Hercules accurrit arcum tendens sagittamque in aquilam demittens; altera sagitta demissa super Promethei capite appareat. Deinde in sinistra imaginis parte Minerva stat hastam tenens, galea instructa; dextra autem pars valde mutilata est, ut nisi figura in sinistrum sedens, quam Schuhmacher l. l. recte Iovem appellat, nihil certum sit; iuxta quam parvae Mercurii reliquiae conspiciuntur.

Vas mihi ab arte Chalcidensi pendere, sed in Attica ipsa esse factum videtur.

2. vas Clusii repertum, nigris figuris exornatum. Mus. Berol. 1722.<sup>1)</sup>

In media parte Pr. dextrorsus, barbatus, taenia ornatus, manus vinctas porrigena humi quasi subsidit, ita ut nisi pedibus humum non tangat; cuius cum corpore nescio quo modo stipes cohaeret, quoniam et supra et infra appareat. A dextro latere aquila advolat, a sinistro Hercules arcum tendens auxilio accurrit; duae autem sagittae per aera volant. Juxta aquilam vir barbatus, pallio vestitus, s. m. longum sceptrum tenens conspicitur.<sup>2)</sup>

Furtwaenglerus (Catalog p. 1054) Chalcidicum vas esse dicit.

3. amphora nigrarum figurarum in Mus. Vidonensi servatum.<sup>3)</sup>

Pr. dextrorsus, subsidens dextro genu, retro spectans eodem modo, quo in vase Clusino, cum stipe cohaeret: ad quem a dextro latere magna aquila advolat. In sinistra parte Hercules arcum tendens accurrit, cuius altera sagitta aquila percussa est. Praeterea quattuor figurae additae sunt: primum Mercurius caduceo praeditus; deinde vir imberbis, arcum tendens, quem Iahnius

<sup>1)</sup> O. Jahn, Arch. Beitr. tab. 8 p. 228. Arch. Ztg. 1858 tab. 114, 1. Baumeister, Denkm. III 1410, fig. 1566. Bullet. d. I. 1840 p. 48.

<sup>2)</sup> Hunc Gerhardius, Welckerus, Iahnius, alii Iovem appellant; neque vero certum est, cum inferiore parte excepta figura secundum Furtwaenglerum genuina non sit.

<sup>3)</sup> Arch. Ztg. 1858, tab. 114 no. 2. 3. Cf. O. Jahn., p. 165,

Apollinem appellat; tum vir barbatus, baculo quinque spiculorum praeditus, quod sceptrum esse Iahnius existimat, cum Furtwaenglerus (Arch. Ztg. 1885 p. 225) tabulis illis votivis Corinthiis, quae in Mus. Berol. 379. 385. 464. adservantur, comparatis Neptunum eum appellebat; postremo femina, longa veste induita, florem tenuens, quam Iahnius Iunonem esse putat; at iuxta Neptunum Amphitrite exspectatur. Atticam esse amphoram Furtwaenglerus dicit.

4. vasis magni nigris figuris exornati fragmentum, Phaleri repertum.<sup>1)</sup>

Reliquum est caput Promethei, quod in sinistram partem versum est, super quo stipes appetat; iuxta hoc alitis pars non parva, cuius ala et collum sagittis percussa sunt; ex alae vulnere magna sanguinis gutta stillat.

Imago ad idem exemplum, ac tria illa vasa modo descripta, delineata est.

Magna est controversia, qualis in his alterius classis vasis poena Promethei sit aut quomodo cum Hesiodi narratione picturae vasorum cohaereant.

Proficiamur igitur ab ipsius Hesiodi verbis, quae sunt Theog. 521:

*δῆσε δ' ἀλυκτοπέδησι Προμηθέα ποικιλόβουλον  
δεσμοῖς ἀργαλέοισι μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας.*

Exstiterunt enim, qui monumentis nisi hos versus ita interpretati sint, ut Iupiter per Promethei corpus stipitem adigat, velut primus Welckerus (A. D. III 193), quem secuti sunt Iahnius (Arch. Ztg. 1858 p. 165), quamquam Arch. Beitr. 228 alter iudicaverat, et nuper Furtwaenglerus (Arch. Ztg. 1885 p. 225).

At si monumentis neglectis sola poetae verba sequimur, summi momenti verbum *δῆσε* est omnibus anteposatum; ergo vinxit Iupiter Prometheum vineulis. Quomodo autem eum vinxit? „*μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας*“. Quidnam *ἐλάσσας*? Proximum est respondere: *ἀλυκτοπέδας* vel *δεσμούς*; ergo vineulis, ut firmiora essent, per columnam adactis eum vinxit, qui connexus sententiarum ab omnibus sine dubio facile intellegitur. At isti

<sup>1)</sup> Benndorf. Gr. u. Sic. V. 54, 3.

viri docti ad μεσὸν διὰ supplant *Προμηθέα* atque cum participio ἐλάσσος accusativum *χίονα* coniungunt, ita ut per Promethei corpus stipitem adigi dicant.<sup>1)</sup>

Huic argumentationi tribus de causis assentiri non possum. Primum si illorum sententia probanda esset, omnes postularent, ut Iupiter non prius, quam Prometheus vinxisset — fortasse ne corpus moveret, manibus et pedibus —, columnam per eum adigeret, quae maior atque crudelior poena est. Atque id, quod summi momenti esset, participio expressum esset. Deinde prorsus a consuetudine sermonis atque recto dicendi genere abhorret, verborum connexum ita disturbare, ut ad μεσὸν διὰ, quae verba artissime cum *χίονα* cohaereant, suppleri possit *Προμηθέα*. Tum omnino supervacaneum esse videtur columnam tam crudeliter adhiberi, cum vincula, ut aquila iecur ederet, Prometheus indi satis esset. Immo absurdum est vinculis simul cum stipe vel columna uti; stipe enim percussum Prometheus, si modo est homo, statim mortem obire necesse est. Non solum poetam de nulla alia poena nisi de vinculis cogitasse certum est, sed etiam a vulgari fabula tanta crudelitas aliena erat.

Contra aliter de monumentis res se habere videtur. Neque enim negare possumus in omnibus alterius classis monumentis Prometheus ita punitum apparere, ut per medium eius corpus stipes adacta sit; in vase Clusino etiam manus vinctae sunt. Talis autem fabulae forma quoniam in vulgari opinione omnino non potuit existere, nulla ex alia causa poenam Prometheus ita repraesentatam esse arbitror, nisi quod Hesiodi verba pictores falso interpretati sunt. Contra Cyrenaeae paterae pictor ea sine dubio recte intellegit atque accurate sequitur; non stipe, sed columna utitur atque μεσὸν διὰ *χίονα* vineula alligat. Huc accedit, quod iuxta Prometheus alterum Iapeti filium ab Hesiodo

<sup>1)</sup> Furtwaenglerus l. l. utramque sententiam coniungere studet, cum dicit: „Der Dichter hat das grausame Motiv möglichst in den Hintergrund gedrängt; er macht die Fesselung zur Haupt-sache und deutet die Pfählung nur an, und zwar so, dass sogar eine Zweideutigkeit entsteht und man ohne Kenntniss der Lage von der Pfählung die Worte natürlicher nur auf die Fesselung bezieht und zu ἐλάσσος aus dem vorigen ἀλυτοπέδας ergänzt, also die Fes-seln durch die Mitte der Säule geschlagen werden lässt.“

eodem loco commemoratum, Atlantem humeris coelum portantem, posuit, quod iam in prooemio expositum est.

Diversa autem poena esse videtur in gemma Cretica (A 2) atque in anaglypho aeneo Argivo<sup>1)</sup> (A 3), quae monumenta non multo antiquiora vasculis sunt: columna vel stipes omnino non conspicitur, ut artifices de columna quadam cogitasse vix credibile sit. Qua de causa in his monumentis fabulae formam ab Hesiodo diversam repraesentatam esse iudico eandemque, quam multo posteriore aetate Aeschylus tradit: Prometheus ad rupem vincentum esse; scilicet Caucasus mons posterioribus temporibus, fortasse ab ipso Aeschylo, additus est. Ad vulgarem autem fabulam rupem spectare valde probabile est, ut genuinum atque primarium schema Promethei manibus a tergo ad rupem vincentis humi sedentis gemma illa Cretica et anaglyphum Argivum nobis praebent. Chalcidensis autem pictor (B 2) a schemate genuino profectus esse videtur, quia Prometheus hac in pictura sedentis hominis similis est; at si quis ad columnam alligatus est, non sedet, sed stat. Atticae vero amphorae (B 3) pictor, qui scheme illo antiquissimo, quod nos appellamus „Knielaufschema“, utitur, id quod imitatus est exemplum omnino non intellexisse videtur. Utrum apud Chalcidenses, an apud Atticos hoc falsum schema alterius classis exortum sit, difficile est dictu, quamquam antiquissimum est fragmentum B 4, quod ad Atticam artem spectat. Non minus incertum est, qua arte genuinum schema gemuae Cretiae et anaglyphi Argivi excultum sit, quoniam Promethei fabula in media Graecia prope montem Othrya orta est, Argivi autem non a Prometheo, sed a Phoroneo homines ignem accepisse contendebant. Fortasse antiquissimo carmine Promethei fabula tractata et pervulgata est eodemque, e quo Theogoniae poeta Iapetidum omnium res sumpsit. Quod nescio quo modo cum Sicyone cohaesisse eo indicatur, quod Theog. 536 Mecone, i. e. Sicyon<sup>2)</sup> commemoratur. Suo igitur arbitrio Hesiodus vulgarem de poena Promethei fabulam ita commutasse videtur, ut eum ad columnam vincentum esse diceret. Atque etiamsi eandem

<sup>1)</sup> Cf. p. 124 not. 5.

<sup>2)</sup> Cf. Schoemann., op. acad. II 272. Preller-Robert G. M. I 94 not. 3.

fabulae formam illud carmen praebuisset, tamen omnia quae illustravi vasa (A 1. B 1—4) ex Hesiodo pendere contendere nobis licet, quia eosdem versus, quos in Theogonia 521. 522 legimus, iam in antiquiore fonte fuisse vix credibile est.

### b) De monumentis, quae Pandoram repraesentant.

Iam sexto saeculo artifices quoque Pandorae fabulam tractasse neque notum neque veri simile est. Primus Phidias in basi Minervae, quae Parthenos vocatur, Pandoram dignam habuisse videatur, quae imagine repraesentaretur. De hoc anaglypho celeberrimo duo exstant testes: Pausanias et Plinius, quorum ille ita scribit I, 24, 7: ἔστι δὲ τῷ βάθρῳ τοῦ ἀγάλματος ἐπειργασμένη Πανδώρας γένεσις πεποίηται δὲ Ἡσιόδῳ τε καὶ ἄλλοις, ὡς ἡ Πανδώρα γένοιτο αὕτη γυνὴ πρώτη πρὸιν δὲ ἡ γενέσθαι Πανδώραν οὐκ ἦν πω γυναικῶν γένος; hic autem dicit in Nat. hist. lib. 36 cap. 19: in basi autem, quod caelatum est — Pandoras genesin appellant — dii sunt adstantes XX numero.<sup>1)</sup>

Quamquam haec tam universe dicta sunt, ut dubitari possit, quam fabulae formam Phidias expresserit, tamen iam Heynlius (Antiqu. Aufs. I 230) eandem fabulam repraesentatam esse dixit, quam Hesiodus (Theog. 570 et Opp. 60) narrat, scilicet Pandoram, primam mulierem hominibus vel Epimetheo datam, a Vulcano e luto fictam atque ab omnibus deis ornatam esse, ceterique omnes viri docti Heynium secuti sunt. Atque vel ipsi veteres Hesiodi fabulam Phidiam secutum esse neverant, id quod Pausaniae verba docent. Accedit, quod operum poetam ipsum primae mulieri nomen dedisse Pandorae certum est; ergo non solum Phidias, sed etiam qui opus eius spectabant et interpretabantur, Hesiodi carmen neverunt. Quod iis quae nunc exstant monumentis<sup>2)</sup> affirmatur.

1) Sic legit Gerhardius. Alii aliter locum sanare conati sunt, vid. ed. Sillig. et Overbeck. Schriftquellen 661.

2) 1. Phialae variis coloribus pictae imago interna, rep. Nolae, del. ap. Gerhardium (Festgedanken an Winckelmann. Berol. 1841 tab. 1. Lenormant et de Witte Él. céram. III pl. 44. Roscher. Lex. Myth. I 2058.

2. basis parvulae statuae Minervae e marmore factae, quae Athenis reperta nomen habet a Francogallo Lenormant. Michaelis Parthenon tab. 15, 1. 1a. p. 276 sqq.

Priusquam de Phidiae anaglypho quidquam pro certo affirmari possit, proficiscendum esse puto a pictura vasis Nolani. Puella peplo induita, cuius membra rigida nondum anima inflata esse videntur, medium picturae locum tenet, corpore adverso, capite obliquo, ut sinistrorum videat. Hinc Minerva, illinc Vulcanus. Minerva, aegide ornata, puellae ἀποστύγματος, quod vocant, partes in humero dextro connexura est, Vulcanus imberbis, pallio indutus caput puellae fascia aurea circumdat, dum sinistra instrumentum quoddam fabrile<sup>1)</sup> tenet. Nomina adscripta sunt:

**ΗΕΦΑΙΣΤΟΣ — ΑΘΕΝ . . ΑΑ — ΝΕΣΙΛΟΡΑ<sup>2)</sup>**

Sed vel sine nominibus Pandorae creationem repraesentatam esse intellegemus. Quodsi puella a dis facta pro Pandora Anesidora vocatur, aliud Telluris deae nomen pro alio positum est.

Quae supra commemoravi Minervae simulaera, cum ad exemplum Minervae Phidiaceae facta sint, eorum anaglyphis ad restituendam caelaturam, qua basis celeberrimi illius signi ornata erat, uti debemus. In basi statuae Lenormantinae a sinistra parte currum advehentem conspicimus, cuius equi et ab auriga in curru stante et ab altero viro ante currum in dextram partem progrediente habenis reguntur. In dextra anaglyphi parte equus, qui videtur, demisso capite in dextrum abit tergo figuram nescio quam portans.<sup>3)</sup> Medium locum tres figurae occupant, quarum duas sceptris et hastis innixas esse, primam rem rotundam manu sinistra gerere, alteram manum in scuto niti, tertiam dextram efferre Michaelis I. l. arbitratur.

3. basis statuae Minervae, quae Pergami nuper reperta in Museo Berolinensi asservatur, nuperrime delineata atque tractata a Puchsteinio Jahrb. d. I. V, 1890 p. 114.

<sup>1)</sup> Hoc alii viri docti aliter interpretati sunt. Panofka (Ber. Berl. Ak. 1838 p. 48 = Allg. Enc. III 10 p. 332) bacillum figularem, de Witte (Cat. Magnoncour no. 9) malleum, Preller (Philologus VII 51) caelum esse censem.

<sup>2)</sup> Legendum est Ανησιδώρα; littera Α est suprascriptum iuxta Minervae nomen; lacuna, quae inter N et A in inscriptione Minervae exstat, ita explenda est, ut legamus ΑΘΕΝΑΙΑ.

<sup>3)</sup> Michaelis p. 277: „ueber dem Rücken des Tieres eine grosse viereckige Masse.“

At figurae ita depravatae et mutilatae sunt, ut de habitu et genere nihil pro certo affirmare praestet.<sup>1)</sup> Contra in basi Minervae Pergameneae sex figurae, si non integrae, at tamen ita servatae sunt, ut de habitu cum maiore probabilitate dicere possimus. Puchsteinus (p. 113) hanc basim, quae ab utraque parte mutilata est, decem figuras olim continuisse censem ita dispositas, ut ab utroque latere quinae figurae stantes in medium imaginis partem versae essent omnes; omissas autem fuisse medias figurae tres et eas quidem, quae ad summam rei maxime necessariae essent, Pandoram Minervam Vulcanum (cf. p. 116).

At sculptor, qui Minervam Phidiacam celeberrimam imitaretur, ut in bibliotheca Pergamena constitueretur, eas figurae, quae summi momenti essent, in basi omittere non potuit.

Proinde figurae, quae exstant, aliter interpretari conemur.

Mihi quidem, cum in Museo Berolinensi basim meis oculis examinarem, ea figura, quam cornu copiae sinistra manu tenere Puchsteinus dicit, quae est, si figurae a sinistro exorsus numeres, quarta, non in dextrum, quod ille vult, versa, sed adverso corpore ita, ut ad spectatores faciem convertat, quasi in medio loco posita esse videbatur.<sup>2)</sup> Atque vel e delineatione cognosci potest et vestitu et habitu hanc figuram a ceteris feminis prorsus diversam esse.

Reliquae autem omnes figurae eodem quo Puchsteinus censem modo oblique versae esse mihi quoque videntur. Tum vero integrum basim non decem, sed undecim figurae continuisse necesse est, quarum sexta, quae cornu copiae praedita est, medium locum tenet, ceterae in utroque latere quinae oculos in eam convertunt. Hic autem numerus cum Plinii testimonio optime conciliari potest; nam cum ille praeter Pandoram viginti

<sup>1)</sup> Tamen Michaelis p. 277 suo iure etiam hanc basim ad Pandorae fabulam atque Phidiae anaglyphum refert. Sententiae Conzei, qui Annal. d. I. 1861 p. 338 figurae ad dedicationem spectare dicit, cum multa, tum hoc obstat, quod a Sole et Luna tota imago circumdata est, de qua re infra disseretur.

<sup>2)</sup> Quum ipse basim conspicerem, haec notavi: „In der Mitte eine ruhig stehende, weibliche Figur, en face, die Haende lose herabhängend, bekleidet mit schwerem Chiton u. Mantel, der hinten herabhängt.

deos adstantes expressos fuisse testetur, apparet sculptorem Pergamenum dimidium figurarum elegisse.

Medium figuram nominare facile est: sine dubio Pandora est, ut videtur, ab ipso Phidia inventa. Cum cornu copiae ei tribuit, ut pictor ille vascularis, qui Anesidorae nomen adscripsit, de ea Pandora cogitavit, quae Telluris dea est. Nam cornucopiae nihil aliud significat nisi fruges opesque uberrimas, quas Terra aut ei dei, qui Terra similes sint aut cum Terrae vi aliqua ratione cohaereant, hominibus dant (cf. Hartwig, Herakles mit dem Füllhorn p. 1. 6); itaque eodem signo Tellus, Ceres, Pluton, Amalthea, Hercules, Achelous, Tyche, Fluvii praediti sunt. Ad ea quae Hartwigius affert exempla Πλοῦτος addendus est, cui Cephisodotus, cum Pacis signum fingeret, parvum cornu copiae dedit.<sup>1)</sup> Eandem sine dubio vim Pandorae cornu copiae habet; idem significat, quod nomen Pandora — πᾶν δῶρον ἔχει.

Quod ad ceteras figuras attinet, ea, quae Pandorae a dextra parte adstat, mihi esse virilis videtur.<sup>2)</sup> Cui, quia superior cor-

<sup>1)</sup> Antiquissimum cornu copiae exemplum praebet Tyche, quae vocatur, Smyrnaeorum, opus Bupali (Paus. IV, 30, 6). Posterioribus tamen temporibus haec dea Fortunae significationem ob id ipsum accepit, quia cornu copiae instructa erat. Initio fortasse Amalthea vel dea Telluris similis erat.

<sup>2)</sup> Puchsteinus p. 115 haec dicit: „Von der ersten Figur der rechten Haelfte, der sechsten von links, ist leider nur die Bruchflaeche des Torso und der rechte Arm vorhanden. Namentlich der Arm, der dieselbe Haltung wie der linke Arm der jungfraulichen Gestalt hat, laesst deutlich erkennen, dass sie sich nach links, also den Figuren der linken Haelfte entgegen wendete, vielleicht mit rechtem Standbein. Ob ihr Oberkoerper bekleidet war, ist sehr unsicher, aber wegen des glatten Umrisses der Bruchflaeche an der rechten Koerperseite unwahrscheinlich; sicherer wird der zu dem linken Beine gehoerige Rest von einer Falte herriihren. Die rechte Hand traegt einen ringfoermigen, wulstigen Gegenstand (Kranz, Halsband von einer Charis oder der Peitho?); es ist auffallend, dass der Reliefgrund unter ihm tiefer liegt, als ueber ihm zwischen dem Arm und dem Koerper, man koennte daher glauben, dass hier ein Kleidungsstück hing, und dass die Hand es gefasst hatte. Aber abgesehen davon, dass aussen neben dem Arm keine Spur davon vorhanden ist, wuerde ich die Art, wie dann der Gewandzipfel von der Hand gehalten sein muesste, nicht verstehen.“ Equidem haec notavi: „Rechts: der Rest einer maennlichen Figur; die ganze Oberflaeche ist abgestossen; dass die Figur maennlich ist,

poris pars nuda est atque figura speciem opificis praebet, Vulcani nomen tribuere licet<sup>1)</sup>; sed quid sinistra manu teneat, diuidicari non potest.

Quis vero eam sequatur, difficile est dictu<sup>2)</sup>; certe virilis est, fortasse de Iove cogitare licet.

Neque vero de ea dea, quae Pandorae a sinistro latere proxima est, Puchsteinum recte dixisse iudico. His enim verbis utitur: „Ein neues, sehr anmutiges Motiv bietet die vierte, wiederum weibliche Figur (der Kopf und die Beine fehlen); verschleiert und mit dem geschlossenen, wahrscheinlich ohne Kolpos geguertetem Peplos bekleidet, hat sie mit der linken Hand dessen langen Ueberschlag an dem einen Ende aufgehoben, während sie mit der rechten das andere Ende unten fasst und leise spannt — offenbar trug sie wie eine Hore Blumen, Früchte oder dergleichen im Bausch.“ Equidem ipse haec notavi: „Eine weibliche Figur, links Standbein, rechts Spielbein, in den Haenden haelt sie eine Binde oder einen offenen Kranz; erhalten ist nur der Rumpf der Figur.“

De Hora omnino non potest cogitari; nam quomodo quinto saeculo Attici artifices Horas finixerint, patera Sosiae docet.<sup>3)</sup> Tales autem Horae, quales Puchsteinus describit, ante aetatem Alexandrinam nunquam inveniuntur. Itaque hanc deam Venerem esse puto; quam vero manibus tenet, taenia vel cingula fortasse cestus est, quem Pandorae tradere in animo habet.

schliesse ich aus dem Contur, der an der rechten Seite ueber der r. Haelfte erhalten ist: er ist ganz glatt gearbeitet und scheint als nacktes Fleisch ohne Gewand aufgefasst werden zu muessen. Der rechte Arm ist gesenkt; in der Hand muss die Figur etwas gehalten haben.“

<sup>1)</sup> Comparare licet Vulcanum paternae.

<sup>2)</sup> Puchsteinius p. 115 dicit: „Auch an der siebenten Figur ist die Wendung nach links durch das erhaltene Stueck des Torso ausser Zweifel gestellt. Unter dem Mantel, der von der Linken an der Huefte festgehalten nur den Unterkoerper verhuelte, trug sie einen duennen Chiton, dessen Aermel auf dem rechten Arm bis zum Ellbogen herabfaellt. Die gesenkten Rechte hielt wahrscheinlich aufrecht einen hohen und breiten Gegenstand, von dem geringfuegige Reste oben und unten herruehren.“

<sup>3)</sup> Hermann, de Horarum apud veteres figuris. Diss. Inaug. Berol. 1887 p. 20.

Reliquae sunt duae figurae quarum prior Minerva, altera Juno est, si Puchsteinii descriptionem spectas.<sup>1)</sup>

Nunc si quaerimus, quomodo hoc anaglyphum, quod nobis Phidiacas figuram praebere conicere licet, cum patera illa variis coloribus picta coniungendum sit, e media anaglyphi parte proficiscendum est. Quam cum vasculari pictura comparatam ab hac prorsus diversam esse apparet: in vasculari pictura tres figurae artiore vinculo inter se cohaerent, in anaglypho Phidiaco figurae paene sine connexu compositae sunt; in illa in eo est, ut Minerva et Vulcanus primam mulierem fingant et ornent, in hoc iam facta est Pandora atque dii deaequae omnes varia dona, quibus ornetur, apportant; accedit, quod Phidias iuxta Pandoram Venerem, pictor Minervam ponit.

His de causis pateram cum Phidiaco anaglypho artius cohaerere aut ab eo pendere, quod nonnulli dixerunt, concedere non possum. Kleinius enim, qui omnes eiusdem generis pateras enumeravit atque diligentissime illustravit, brevissimum tempus circa Ol. 85=440 eas usitatas fuisse iudicat, quod cum Minervae Phidiaceae aetate optime consentit.<sup>2)</sup> At hodie postquam in arce

<sup>1)</sup> Puchsteinius p. 113: „Die an erster Stelle befindliche Figur ist eine Frau (Hera?), die nach rechts, d. i. nach der Mitte zu, gewandt und aus der Vorderansicht nur sehr wenig in die der Wendung entsprechende Profilansicht gedreht ist . . . Sie hat links Standbein und ist mit dem geschlossenen, ungegürteten Peplos bekleidet; ueber den Rücken, wahrscheinlich vom Kopfe herab, faellt ein langer Schleier, den sie mit der rechten Hand rafft . . . Ebenso muss auch die dritte Figur in der ganz abgescheuerten rechten Hand vor der Brust einen kleinen Gegenstand getragen haben, während sie die linke ungewungen herabhaengen laesst . . . Ihre Tracht ist der bei der Athena uebliche an der rechten Seite offene Peplos, der ueber dem langen Ueberschlag gegürtet ist; ueber die Schultern sind nach vorn die Zipfel eines hinten herabfallenden Mantels gezogen.“

<sup>2)</sup> De aetate Minervae Phidiaceae eorum sententiam sequor, qui post Iovem Olympicum eam sculptam esse dicunt. Ol. 85, 3=438 statuam finitam atque dedicatam esse certum est (schol. Arist. Pax 605. Overbeck, Schriftquellen 647).

W. Kleinius (Euphronios<sup>2</sup> p. 251 not. 1) disserit: „Das einzige, inhaltlich bedeutende Bild unserer Schalenreihe, Pandora's Geburt, weisst bestimmt auf den Einfluss Phidias'scher Kunst, der denselben Gegenstand bekanntlich auf der Basis der Parthenos (Ol. 85, 3 geweiht)

Athenarum inter rudera belli Persici non solum vasa rubris figuris severioris stili ornata, sed etiam variis coloribus in albo picta reperta sunt, tales pateras iam ante annum 480 exstitisse certum est atque si quis artis severitatem perpenderit, pateram illam Nolanam post 450 factam esse non posse facile concedet. Ergo vascularis imago vetustior est anaglypho Phidiaco. Atque Kleinii coniecturam, qua haec vasa cum Apollodori arte cohaerere contendit, prorsus falsam esse temporum ratio docet. Ceterum incertum est, utrum ipse vasis pictor primus Pandorae creationem effinxerit, an in maiore arte tabulas vel parietes pingendi idem vel simile exemplum exortum sit. Certe Phidias ipsius ingenii vi novum Pandorae exemplum prodit. Quod confirmatur, si quaerimus, qua ratione artifices carmina Hesiodea in operibus suis adhibuerint.

In patera enim pingenda pictorem Theogoniae versus 573. 574 et 578—580 ante oculos habuisse et satis accurate illustrasse luce est clariss:

ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη  
ἀργυρέῃ ἐσθῆτι·  
ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνην χρυσέην κεφαλῆφιν ἔθηκε,  
τὴν αὐτὸς ποίησε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις,  
ἀσκήσας παλάμησι, χαριζόμενος Διὶ πατρὶ.

Attamen etiam Operum narrationem ei cognitam fuisse nomen Anesidorae pro Pandora positum docet. Phidias vero cum Veneri, cuius nulla in Theogonia fit mentio, partes primarias tribuat, haud dubie operum versus 65. 66 sequitur:

καὶ χάριν ἀμφιχέαι κεφαλῇ χρυσέην Ἀφροδίτην  
καὶ πόθον ἀργαλέον καὶ γυιοκόρους μελεδῶνας.

Quodsi hac re Minerva, quae imprimis ponenda erat, nimis neglectam videri contenderis, consideres velim Phidiam ei eum locum dedisse, qui Iovi responderet.

Quod autem ad illam quam Puchsteinius Iunonem vocat figuram attinet, cum Iovis uxor in dextro latere iuxta coniugem exspectetur, non sine probabilitatis specie pro Gratiarum vel

---

darstellt. Die auffalleud laenglichen Kopfformen aller drei Figuren finden in den Parthenonfiguren Analogien.“

Horarum una eam habere possis, quas Operum compilator vv. 73—75 commemorat:

ἀμφὶ δέ οἱ Χάριτές τε θεαὶ καὶ πότνια Πειθώ  
οῷμους χρυσεῖονς ἔθεσαν χροῦ· ἀμφὶ δὲ τὴν γε  
Ωραὶ καλλίκομοι στέφον ἄνθεσι εἰαρινοῖσι.

Quod denique ad ceteras figuras a Phidia expressas attinet, in extremis anaglyphi partibus Solem et Lunam apparuisse paene certum est.<sup>1)</sup> De reliquis figuris quamquam nisi coniecturas ponere non possumus, tamen praestantissimos e numero deorum a Phidia electos esse veri simile est, ut figurae ita dispositas<sup>2)</sup> esse coniciam

in sinistra parte:

10 = Sol Mercurius Horae (3) Gratiae (3) Minerva Venus

in dextra parte:

10 = {Vulcanus Iupiter Iuno Neptunus Amphitrite Leto Apollo  
Diana Mars Luna.

De Mercurio narratur Opp. 77:

ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης  
ψεύδεά θ' αίμαντίοντς τε λόγοντς καὶ ἐπίκλοπον ἥθος  
θῆκε θεῶν κῆρον, ὀνόμην δὲ τὴνδε γυναικα  
Πανδώρην.

Martem adfuisse propterea veri simile est, quod unius figurae galea ab anaglypho dissoluta in titulis CIA II, 676, 13; 701; II, 60. 703 commemoratur, Minervam autem, eam scilicet, quam *Ἑργάνην* vocant, in hac scaena galeatam fuisse parum probabile est.

## 2. De Veneris ortu.

Anaglyphum Phidiacum in Iovis Olympici basi sculptum qui unus commemorat, Pausanias his verbis accurate describit (V, 11, 8):

<sup>1)</sup> Cf. Michaelis, Parthenon p. 276. Schreiber Abh. d. sächs. Ges. VIII, 599. De Luna equo vehente vid. Heydemann. Mitteilg. aus Antikensamml. p. 91 not. 234. F. Winter, Tirocinium philol. sod. sem. Bonn. 1883 p. 71. Furtwaengler, Samml. Sabouroff tab. 43. Loeschke, Arch. Ztg. 1884 p. 97.

<sup>2)</sup> Alii alias figurae supplent. Cf. Gerhard. Festgedanken I. I Panofka Monatsber. d. Berl. Akad. 1838 p. 48.

ἐπὶ δὲ τοῦ βάθρου τοῦ τόν θρόνον τε ἀνέχοντος καὶ ὅσος ἄλλος κόσμος περὶ τὸν Δία, ἐπὶ τούτου τοῦ βάθρου χρυσᾶ ποιήματα, ἀναβεβηκὼς ἐπὶ ὅρμα Ἡλιος καὶ Ζεύς τέ ἐστι καὶ Ἡρα· παρὰ δὲ αὐτὸν Χάρις· ταύτης δὲ Ἐρυῆς ἔχεται, τοῦ δὲ Ἐρυοῦ Ἔστια· μετὰ δὲ τὴν Ἔστιαν Ἐρως ἐστὶν ἐκ θαλάσσης Ἀφροδίτην ἀνιοῦσαν ὑποδεχόμενος· τὴν δὲ Ἀφροδίτην στεφανοῖ Πειθώ· ἐπείργασται δὲ καὶ Ἀπόλλων σὺν Ἀρτέμιδι, Ἀθηνᾶ τε καὶ Ἡρακλῆς καὶ ἡδη τοῦ βάθρου πρὸς τῷ πέρατι Ἀμφιτρίτη καὶ Ποσειδῶν, Σελήνη τε ἵππον ἐμοὶ δοκεῖν ἐλαύνοντας· τοῖς δέ ἐστιν εἰρημένα ἐφ' ἡμίονον τὴν θεὸν ὀχεῖσθαι καὶ οὐχ ἵππον καὶ λόγον γέ τινα ἐπὶ τῷ ἡμίονῳ λέγονταν εὑήθη.

Antiquissima de Veneris ortu narratio exstat apud Hesiodum (Theog. 188 sqq.): Venus e spuma maris, quam membra genitalia Urani effecerant, orta postquam ad Cyprum insulam appulsa est, ab Amore et Himero excipitur atque in deorum concilium ducitur.

Quae fabula quamquam ab Hesiodo cum cultu Veneris Cypriae et Cythereae coniungitur<sup>1)</sup>, tamen num re vera cum illo quidquam commune habuerit, dubitari potest.

Primum in Homeri carminibus nihil invenitur, quod cum Hesiodeo Veneris genere aut ortu ullo modo cohaereat; nam Venus filia Iovis et Dionae est (Il. E 312); atque etsi multa in cognominibus deae exstant vestigia, quae ad cultus illos antiquissimos pertinent<sup>2)</sup>, tamen nullo loco quidquam de Venere e spuma maris orta commemoratur aut indicatur. Deinde Hesiodus, antiquissimus illius fabulae testis, expressis verbis etymologiam afferit, qua nomen Veneris declareret, v. 195

τὴν δὲ Ἀφροδίτην  
κικλήσκουσι θεοί τε καὶ ἀνερες, οὕνεκ' ἐν ἀφρῷ  
θρέψθη<sup>3)</sup>,

<sup>1)</sup> Theog. 192. 193:

πρῶτον δὲ Κυθήροισιν ζαθέοισιν  
ἐπλητ', ἐνθεν ἐπειτα περίρροντον ἴκετο Κύπρον.

<sup>2)</sup> Κύπρος: Il. E 330. 422. 458. 760. 883. Κυπρογενής, Κυπρογένεια Hom. H. IX, 1. cf. Panyassim ap. Athen. II, 36 D. Κυθήρεια Od. 9 288. σ 193. cf. Il. O 432. Hom. H. IX, 1.

<sup>3)</sup> Versum 196:

ἀφρογενέα τε θεὰν καὶ εὐστέφανον Κυθέρειαν  
suo iure Wolfius elecit. Sine dubio hoc cognomen posterioribus temporibus ortum atque inventum est cf. Mosch. I, 71. C. I. G. 5956.

quam etymologiam Plato Cratyl. 406 C probat. Accedit, quod Veneris ortum cum Urani et Croni fabulis ita coniungit, ut spumam maris e membris genitalibus Urani effectam esse dicat; fortasse Uraniae Veneris nomine poeta commotus est, ut hanc fabulam fingeret. Etymologia quoque num ex ipsius ingenio profecta sit, diiudicari nequit, etsi in aliis fabulis suas etymologias protulit, velut in Pegasi Chrysaoris Titanum nominibus.<sup>1)</sup> Nihilo secius ab ipso Hesiodo de Veneris ortu fabulam et inventam et pervulgatam esse sine dubitatione contendere posse mihi videor.

Neque vero omnino ipsum ortum Veneris solum Phidias repreaesentare, sed cum deorum concilio ita coniungere in animo habebat, ut nova dea a ceteris deis Olympicis exspectaretur, quod Hesiodus verbis „γεινομένη τὰ πρῶτα θεᾶν τ' ἐς φῦλον λούσῃ“ significat.

Hoc φῦλον θεᾶν in anaglypho quoque Phidiai sine dubio apparebat; in Olympo ipso — id enim Vesta, quae adest, significat — dii deaeque novam deam e mari ascendentem conspicunt.

Sed quaeritur, qualis Veneris figura in anaglypho fuerit, in qua magna controversia non solum Pausaniae descriptionem, sed etiam monumentorum quae nunc exstant exempla respicere debemus; nam quoniam Pausanias expressis verbis (*ἐξ θαλάσσης ἀνιοῦσαν*) Venerem ex fundis emergentem commemorat, aliqua ratione mare cum deorum concilio coniungendum est. Stephanus<sup>2)</sup> Venerem e concha ascendere dixerat, quod nimis a Phidiai more abhorrire videtur atque satis idoneis causis a Furtwaenglero<sup>3)</sup> refutatum est. Furtwaenglerus ipse eam prorsus nudam fuisse atque schema Anadyomenae, quae vocatur,

<sup>1)</sup> Theog. 282. 283 de Pegaso et Chrysaore:

τῷ μὲν ἐπώρυμον ἦν, ὅτ' ἄρδε Σκεανοῦ περὶ πηγὰς γένθ', δ' ἄρδε ζεύσειον ἔχεν οετὰ ζερσὶ φίλησι.

de Titanibus v. 207,

τοὺς δὲ πατήρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκε παιδας νεικείων μέγας Οὐρανός, οὓς τέκεν αὐτός. φάσκε δὲ τιτανοντας ἀτασθαλίῃ μέγα φέξαι ἔργον, τοῦ δὲ ἐπειτα τίσιν μετόπισθεν ἔσεσθαι.

<sup>2)</sup> Compte rendu 1870/1871 p. 50 sqq.

<sup>3)</sup> N. Jahrb. f. Phil. 1875 p. 588 sqq.

praebuisse censem.<sup>1)</sup> De Witte autem fragmentum argenteum Galaxidis repertum comparat, ubi Amor Venerem e maris undis subducit.<sup>2)</sup> Quod cum verbis Pausaniae (*Ἐρως ἐστὶν ἐξ θαλάσσης Ἀφροδίτην ἀνιουσαν υποδεχόμενος*) tam accurate respondit, ut gravioribus argumentis, quam quae Kalkmannus et Puchsteinius protulerunt<sup>3)</sup>, opus sit, si tabulam a Phidia pendere negare velis. Contradicunt enim hoc fragmentum ad basim restituendam nihil valere, quia ad annum 400. referendum sit. At ornatum illum aureum Panticapaei repertum, qui antiquissimam imitationem faciei Minervae Phidiacae nobis praebet, illo tempore antiquorem esse credere non possumus. Ipsum igitur Veneris ortum Phidas cum deorum concilio eodem quo Hesiodus finxit modo ita coniungere in animo habebat, ut principes deorum dearumque novam deam e mari emergentem exspectarent; Olympus scilicet non totius compositionis scaena esse potest, sed ut in fastigio orientali Parthenonis, totum mundum Phidas indicare voluit, quod Solis et Lunae figuris additis confirmatur. Num prorsus nuda Veneris figura in basi fuerit, diiudicare non possum. Pro Himero, qui Hesiodo auctore theog. 201. 202.

*τῇ δ' Ἔρως ὁμάρτησε καὶ Ἰμερος ἔσπετο καλὸς  
γεινομένη τὰ πρῶτα θεῶν τ' ἐς φῦλον ιούσῃ*

simul cum Amore Venerem in deorum concilium se conferentem comitatur, Phidas in opere suo Peithonem adhibet, non quo Peitho artius illo cum Venere cohaereat, sed quia legibus artis observatis variare studet; neque enim Himerus in opere ab Amore diversus esse potest.

His causis allatis concedendum erit, ut in Minervae, quae in Parthenone constituta erat, ita in Iovis Olympici basi Hesiodi narrationem Phidiam secutum esse.

Quod ad figurarum ordinem attinet, Brunnius (K. G. I 174) sine dubio optimo iure verba Pausaniae „*Ἡρα· παρὰ δὲ αὐτὸν Χάρος*“ offendit atque dii cuiusdam nomen, fortasse Vulcani, omissum esse coniecit; nam si verba tradita sequeremur conjectura Welckeri usi, qui *παρὰ δὲ αὐτὴν* proposuit, in altera

<sup>1)</sup> Roscher. Lex. Myth. I 414. 417.

<sup>2)</sup> Gaz. archéol. 1879 p. 171 tab. 19, 2. cf. Preller-Robert Gr. M. I 353.

<sup>3)</sup> Jahrbuch d. J. I 254 (Kalkmann.), V 112 (Puchstein).

anaglyphi parte sex, in altera quinque figurae exstarent, quod ab artis legibus severis, imprimis a Phidiae principiis, alienum est. Non minus recte Brunnus fecit, quod omnes figurae in uno eodemque baseos latere posuit. Contra quam sententiam Stephanius (C. R. 1870/71 p. 48) artificiosissime verba „καὶ ἦδη τοῦ βάθρου πρὸς τῷ πέρατι“ interpretatus est, cum diceret: „die aeusserste entgegengesetzte Seite der Basis, d. h. die noch nicht beschriebene letzte Nebenseite der Basis, welche der zuerst mit den Worten ἀναβεβηκὼς ἐπὶ τῷ ἄκμᾳ Ἡλιος . . . . beschriebenen gerade entgegengesetzt ist“. Summo iure Furtwaenglerus (N. Jahrb. f. Phil. 1875 p. 588) contradicit ipsos potentissimos deos, Iovem et Iunonem, Neptunum et Amphitriten in sinistro et dextro lateribus baseos futuros esse, si ordinem figurarum disturbaremus.<sup>1)</sup> Hoc igitur schemate usus Brunnus figuras distribuit:

D	B	A	C	E
1. 2. 3.	2. 1. 3.	3. 2. 1.		
A. 1. Venus.				
2. Eros.				
3. Peitho.				
D et E: Sol et Luna.				
B. 1. Iupiter et Iuno.				
2. Vulcanus et Gratia.				
3. Mercurius et Vesta.				
C. 1. Neptunus et Amphitrite.				
2. Minerva et Hercules.				
3. Apollo et Diana.				

Altera enim figura iuxta alteram ita posita est, ut Pausanias describit; Vesta quasi ad Olympi introitum stat.

In his quae usque adhuc tractatae sunt fabulis facile erat dijudicare, qua ratione monumenta cum Hesiodi carminibus cohaereant. Contra in Persei fabula, ad quam nunc transire liceat, quaestio difficilior est, quia permagnus monumentorum numerus percensendus est.

<sup>1)</sup> Eadem de causa alii viri docti Brunnium secuti sunt, velut Treu Arch. Ztg. 1875 p. 44. Petersen, Kunst des Phidias p. 372. Flasch, Zum Parthenonfriese p. 25.

### 3. De caede Medusae.

Antiquissimus de Medusae fabula testis est Hesiodus, qui Theog. 270 sqq. cum Phorci et Cetus progeniem enumerat, de Gorgonibus haec verba facit:<sup>1)</sup>

Γοργοὺς δ' αἱ ναίοντι πέροη κλυτοῦ Ωκεανοῖο,  
ἐσχατῆ πρὸς νυκτός, ἦν Ἐσπερίδες λιγύφωνοι,  
Σθεινώ τ' Εὐρυάλη τε Μέδουσά τε λυρὰ παθοῦσα.  
ἡ μὲν ἔην θνητή, αἱ δ' ἀθάνατοι καὶ ἀγήρω,  
αἱ δύο τῇ δὲ μῆπ παρελέξατο Κυανοχαίτης  
ἐν μαλακῷ λειμῶνι καὶ ἄνθεσι εἰλαρινοῖσι.  
Τῆς δ' ὅτε δὴ Περσεὺς κεφαλὴν ἀπεθειροτόμησεν,  
ἔκθορε Χρυσάωρ τε μέγας καὶ Πήγασος ἵππος.  
τῷ μὲν ἐπώνυμον ἦν, ὅτ' ἂρ Ωκεανοῦ περὶ πηγάς  
γένθ', δ' ὁ δορ χρύσειον ἔχεν μετὰ χερσὶ φίλησι.  
χὼ μὲν ἀποπτάμενος προλιπών χθόνα μητέρα μῆλων,  
ἴκετ' ἐς ἀθανάτους· Ζηνὸς δ' ἐν δώμασι ναίει,  
βροντήν τε στεροπήν τε φέρων Διὸς μητιόεντι.

Plura de hoc praeclaro Persei facto auctor scuti Her. 216 sqq. nobis tradit. Describit enim Perseum post caedem Medusae a Gorgonibus, sororibus eius, fugatum; idem accurate enumerat Persei arma haec: πτερόεντα πέδιλα, μελάνδετον ἄορ, κίβισις, quae Medusae caput continet, Ἀιδος κυνέη.

Quae illi a Nymphis praeter gladium data esse Pherecydes ap. schol. Apoll. Rhod. IV, 1091 narrat, quocum Apollod. II, 4, 2 consentit.<sup>2)</sup> Atque ad quam aetatem haec fabula redeat, vas Chalcidicum ap. Gerhard. A. V. B. 323 delineatum, sexti saeculi

<sup>1)</sup> In Homeri carminibus nisi de Gorgone et gorgoneo sermo non est cf. Il. E 741. Θ 349. Α 36. Od. λ 633. Perseus uno tantummodo loco commemoratur (Il. Ξ 319), ubi filius Iovis e Danae natus nominatur. Totam Persei et Gorgonum fabulam Roscherus copiosissime tractavit in libro, qui inscribitur Die Gorgonen Lpzg. 1879. cf. Lex. Myth. I 1675. Mihi quidem ea eligere licet, quae ad caedem Medusae pertinent.

<sup>2)</sup> Ap. Eratosth. Cat. 22, quem Aeschylus fabulam non solum in hac una re, sed etiam tota in narratione fabulae Persei sequi veri simile est (cf. Robertum Erat. rel. p. 130 not.), a Mercurio galeam et talaria accepit.

initio tribuendum docet, ubi tres Nymphas, quibus nomen **ΝΕΙΛΕΣ** adscriptum est, Perseo coram Minerva tria illa arma tradentes videmus.<sup>1)</sup>

Quod ad ipsam caedem attinet, apud Hesiodum Perseus gladio usus caput Medusae desecat, quo cum artis monumenta antiquissima congruere infra apparebit. Postea autem haec fabula simplex aucta variisque additamentis ornata est. Velut ap. schol. Apollon. Rhod. I. l. legimus: *ταύτας* (sc. τὰς Γοργόνας) *κοιμωμένας εὑρίσκει*. *Υποτίθενται δὲ αὐτῷ οὗτοι οἱ θεοὶ* (i. e. Ἐρυῆς καὶ Αθηνᾶ), *ὅπως<sup>2)</sup> χρὴ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμεῖν ἀπεστραμμένον καὶ δεικνύοντιν ἐν τῷ κατόπτρῳ τῷ τὴν Μέδουσαν, ἢ μόνη ἡ θυητὴ τῶν Γοργόνων.*

Pro speculo Apollodorus (II, 4, 2) Minervae scutum ponit atque deam manum Persei regentem facit. Deinde pro gladio posteriores aut falcem aut harpen quae vocatur ponere solent, quam aut a Vulcano<sup>3)</sup> aut a Mercurio<sup>4)</sup> aut denique a Minerva<sup>5)</sup> Perseus accepit. In artis autem monumentis harpe e gladio et falce composita est.

Primus autem Hesiodus in fabulam inducit Pegasum et Chrysaorem: Neptunum enim cum Medusa prope Oceanis fontes<sup>6)</sup> consuetudinem habuisse narrat<sup>7)</sup>; itaque capite Medusae a Perseo praeciso Neptuni filii Pegasus et Chrysaor e collo exsiliunt, quorum ille ad Iovem in Olympum evolat, hic in terra remanet.<sup>8)</sup>

<sup>1)</sup> Nymphae ad vulgarem fabulam spectare videntur, praesertim cum Perseus cum Apesantii cultu arte cohaereat, de qua re infra plus dicendum erit.

Gitiaden Lacedaemonium in templo Minervae, cui cognomen erat *Χαλκίοικος*, eandem fabulam repraesentasse Pausanias (III, 17, 3) tradit.

<sup>2)</sup> Idem iam antiquissima monumenta ostendunt.

<sup>3)</sup> Erat. Cat. 22. schol. Arat. 250. schol. German. B. P. p. 82, 12. G. p. 147, 17. Hygin. astr. II, 12.

<sup>4)</sup> Apollod. II, 4, 2, 6.

<sup>5)</sup> Nonn. Dion. 25, 55.

<sup>6)</sup> Posteriores in templo Minervae hoc factum esse dicunt Ovid. Met. IV, 797. Lactant. IV, 20.

<sup>7)</sup> cf. Strabo IX p. 379. Ovid. Fast. III, 456. Nonn. 31, 22.

<sup>8)</sup> Posteriores de horum quoque ortu alii aliter fabulati sunt: e sanguine Medusae nati sunt ap. myth. Vat. II, 131 Ovid. Met. IV, 784; utero autem exierunt ap. Lactant. IV, 17. Myth. Vat. II, 112.

Monumenta, quae Medusae mortem exhibent, in duas classes dividenda sunt, quarum prior Perseum a duabus Gorgonibus vel ab una sola post caedem Medusae fugatum, altera ipsam caedem ostendunt.

Cetera omnia, quorum nonnulla Iahnius (*Philologus* 27, 1 sqq.) tractavit, omitto; praeter Iahnium Loeschcke (*Arch. Ztg.* 1881 p. 29) et Dumontius (*Monumens grecs etc.* 1878 p. 15), si non omnia, at tamen praestantissima, quae ad Persei fabulam pertinent, monumenta enumeraverunt breviterque illustraverunt.<sup>1)</sup>

Quae fugam Persei repraesentant monumenta aut pleniorum imaginem sex figuras complexam, scil. Perseum Minervam Mercurium duas Gorgones Medusam iam occisam et pronam (A)<sup>2)</sup>, aut compendiariam aliis figuris in aliis monumentis omissis praebent (B)<sup>3)</sup>. Omnium antiquissima est arca Cypseli VII. saeculo

<sup>1)</sup> E monumentis ea tantum modo numero, quae delineata et edita sunt. De ceteris omnibus cf. Six. *de gorgone Amstelodami* 1885 passim.

<sup>2)</sup> A1. patera nigris figuris ornata stili antiquissimi, in insula Rhodo reperta. *Journal of hell. stud.* 1884 pl. 43 p. 220. 239.

A2. vas nigrarum antiquissimi stili figurarum. coll. Stuart. *Annal. d. J.* 1851 tab. P.

A3. amphora n. f. Mus. Monac. 619. Gerhard A. V. B. II, 88.

A4. vas Nolae repertum. Campana. *Monum. d. J.* 1855 tab. II, p. 17.

<sup>3)</sup> Nigris figuris haec vasa praedita sunt:

B1. patera. Mus. Berol. 1753. Gerhard Trinksch. tab. 2 = Levezow Gorgonenideal tab. 2, 24 = Mueller-Wieseler D. A. K. II, 71 no. 897.

B2. vas formae tripodis Tanagrae rep. Mus. Beral. 1727. *Arch. Ztg.* 1881 tab. 3. 4. 5. cf. Loeschcke p. 29 sqq.

B3. vas Aeginae rep. Mus. Berol. 1682. *Arch. Ztg.* 1882 tab. 10. cf. Furtwaengler. p. 197 sqq.

B4. amphora. Mus. Lup. Campana IV 1108. *Monum. d. I.* VIII, 34, 2. cf. Kluegmann *Annal. d. J.* 1866 p. 447.

B5. hydria. Mus. Vindob. *Annal. d. J.* 1866 tab. R. cf. Conze p. 285 sq.

B6. patera. Mus. Greg. II, 92, 4 = Canina, *l'antica Etruria* II, 111, 17.

B7. amphora. Mus. Brit. 548. Cat. Durand 243.

B8. vas. Princ. Ruspoli. Loeschcke *Arch. Ztg.* 1881 p. 29 not. 2.

B9. amphora. Mus. Monac. 1187. Gerhard A. V. B. III, 216 = Micali *Storia* 85, 5. 6. = Levezow, Gorgonenideal tab. 2, 23.

B10. lecythus. Due de Luynes. *Arch. Anz.* 1850 p. 211.

a. Chr. n. facta, cuius in secundo imaginum ordine fuga Persei repraesentata erat, de qua Pausanias (V, 18, 5) haec verba facit: *αἱ δὲ ἀδελφαὶ Μεδούσης ἔχονται πτερὰ πετόμενον Περσέα εἰσὶ διώκονται. τὸ δὲ ὄνομα ἐπὶ τῷ Περσεῖ γέγραπται μόνῳ.* Si constat Pausaniam omnes figurae, quae in arca expressae erant, describere neque ullam omittere, contendere licet totam imaginem tribus figuris, Perseo et Gorgonibus duabus, constitisse, Medusam ipsam expressam non fuisse, ut ad alterius classis monumenta eam referre liceat. Similiter in scuto Hesiodeo Perseus et duae Gorgones illum persequentes describuntur.

Sequuntur autem ea monumenta (C)<sup>1)</sup>, quae Perseum solum in d. aut s. vehementer currentem repraesentant, qui ex supe-

Rubris figuris ornata sunt haec:

- B 11. amphora severioris stili. Mus. Monac. 54. Micali Mon. ined. 44, 3.
- B 12. *χότνιος*. Stackelberg, Graeber der Hellenen 39.
- B 13. vas pulchri stili. Panofka Mus. Blacas 11, 1.
- B 14. scyphus. Mus. Nap. III. Campana XI K, 85. Philologus 27 tab. 1, 1.
- B 15. vas pulchri stili. Inghirami vasi fitt. I, 71 = Millin gal. myth. pl. 105 no. 387 = Levezow tab. 3, 31 = Mueller-Wieseler D. A. K. II, 72 no 899.
- B 16. hydria. Mus. Berol. 2377. Annal. d. J. 1851 tab. 0. cf. Jahn p. 175.
- B 17. amphora. Mus. Naz. 1767. Mus. Borb. XIII, 57—59. cf. O. Jahn Philologus I. l. p. 8. 29. Bullet. d. J. 1843 p. 80.
- B 18. amphora posterioris stili. Mus. Monac. 910. Gerhard A. V. B. II, 89, 3. 4.

Praeterea alia monumenta variis generis commemoranda sunt haec:

- B 19. sarcophagus prope oppidum, cui nomen est Atheniu, in insula Cypro situm. Cesnola Cyprus pl. X p. 110 sq. = Perrot. et Chipiez, hist. de l'art III p. 612 fig. 419.
- B 20. speculum Etruscum. Mus. Lup. Gerhard Etr. Sp. V, 68.
- B 21. tripus Etruscus Mus. Berolin. Friedrichs Berl. ant. Bildw. II, p. 192 not. 767.
- B 22. terracotta Melia. Millingen. Anc. uned. Mon. II, 2 = Levezow tab. 4, 42 = Mueller-Wieseler I, 14 no. 51 = Overbeck Plastik I, 162 fig. 32 a.

<sup>1)</sup> C 1. catillus Rhodi rep. Mus. Berol. 3917. Salzmann Camiros 55, 2. cf. Arch. Ztg. 1881 p. 221 not 23.

C 2. hydria. Cab. des Méd. Heydemann, Pariser Antiken p. 76 not. 34.

rioribus fugae Persei imaginibus sine dubio depromptus est. Ab hoc schemate eius Persei figura secernenda est, qui stans altera manu caput Medusae quasi triumphans sublevat; talis enim figura ex eis imaginibus, in quibus Perseus caput Medusae Polydectae, regi Seriphiorum, ostendit, orta esse mihi videtur, qua de causa eam neglegere hic licet.

Ut ea quae littera A significavi monumenta omnes sex figuras, quas commemoravi, nobis praebent, ita alterius classis B exempla alia alias figurae omittunt, ita ut quinque, quattuor, tres, duae figurae appareant, prout spatium explendum est.<sup>1)</sup>

Quod ad motum habitumque singularum figurarum attinet, ceteris omnibus neglectis de Perseo solo pauca afferam. Perseus enim paene semper celerrime in d. currens apparet<sup>2)</sup>; et in nonnullis monumentis ita pictus est, ut pedes terram omnino non attingere videantur<sup>3)</sup>; volans igitur cogitat. Hae imagines accuratissime cum Hesiodeis verbis, quae inveniuntur in scut. Herc. 216 sqq., consentiunt: „ὅδ' ὅστε νόημ' ἐποτάτῳ· σπεύδοντι καὶ ἐργάζοντι ἐοικάσ·“ eodemque modo v. 217 intellegendus est: οὐθ' ἀρ' ἐπιφάνων σάκεος ποσὶν οὐθ' ἐκὰς αὐτοῦ“. Cum fuga autem artissime cohaeret, quod Perseus retro spectat.<sup>4)</sup> A ceteris omnibus monumentis sarcophagus Cyprius (B 19) discedit, ubi Perseus tardo gressu in d. vadit Medusam

---

C3. signum officinae in strigile ex aere facta, Athenis rep.  
Mus. Berol. Friederichs Berl. ant. Bildw. II, 89 no. 202.  
Heydemann, Marmorbildw. z. Athen p. 107.

C4. speculum Etruscum. Gerhard Etr. Sp. II, 121.

C5. nummus Seriphius. Cadalvène, Recueil IV no. 27.

<sup>1)</sup> Quinque figurae exstant in B 1, 7, 8, 10; quattuor in B 2, 4—6, 17. 18; tres in B 9. 4. 15. 20. 21; duae in B 11—13. 16. 22. Plerumque omnes figurae in dextram partem versae sunt, quod demonstrant: A 1. 3. B. 1. 2. 4. 5. 9. 11. 12. 14. 16. 19. 20. 22. C 1. 3. 4. In contrariam partem versae sunt in posterioribus monumentis paucissimis: B 17. 18. Varium in modum figurae versae sunt in A 2. B 13. 15. In A 4 Minerva sola in d. versa est, ceterae omnes figurae, Mercurius Perseus duae Gorgones Medusa, ad Minervam versae sunt. Hie igitur Minerva quasi dea tutelaris est Persei, praesertim cum alteram manum, ut significet tutelam, porrigit.

<sup>2)</sup> vid. A 1. 2. 4. B 6. 7—9. 11—14. 16—18. 20. C 1. 2. 3.

<sup>3)</sup> A 3. B 1. 2. 3. 5.

<sup>4)</sup> vid. A 1. 2. B 1. 6. 16. 22. C 4.

occisam relinquens. Deinde in anaglypho figulino Melio (B 22) mirus est equus, quo Perseus in d. celeriter vehitur, s. m. falcem tenens, d. m. caput Medusae portans; sub equi corpore Medusa ipsa magnis alis praedita prona in genua subsidet capite praeciso. Hunc equum Persei iam Levezowius rectissime his verbis declarat: „dass es hier seine Entstehung bloss dem Umstande zu verdanken habe, dass Perseus und Medusa der Vorstellung des von dem Pegasus herab die Chimaera besiegenden Belleroophon zum Gegenstuecke dienen“. Conferas velim alterum anaglyphum ex argillo factum et in eadem insula repertum, quod Bellerophontem, in Pegaso sedentem, Chimaeram necantem facit (Millingen Anc. uned. Mon. II pl. 3 = Baumeister Denkm. I 301 fig. 318).

In nonnullis vasculis figurarum rubrarum, quae pulchrum stilum quinti saeculi praebent (B 14. 15), Neptunus, pater Gorgonum, sive inter duas Gorgones currentes, sive inter Perseum et Mercurium fugientes, invenitur. Pro Neptuno autem in speculo Etrusco (B 20) Phorcus positus est. Videmus enim Perseum celerrime in d. currentem, quem sequitur Minerva retro spectans in virum chlamyde vestitum atque tridentem gestantem, cui nomen adscriptum est litteris *Etruscis ΑVDCIVΣ = Purcius = Phorcys.*<sup>1)</sup> Qui quin non sit diversus ab Hesiodeo Phoreye, eius uxor erat Ceto, et a quo nascuntur Graeae et Gorgones (Theog. 270 sqq.), non est dubium.<sup>2)</sup> Phoreyi, maris deo, artifices Neptuni speciem dederunt. Neque tamen certum est, num delineator speculi atque pictores illorum vasorum Hesiodum resperexerint, quia ex quinto saeculo fabulas Persei varie tractatas esse Pherecydis et Aeschyli narrationes<sup>3)</sup> docent.

Nunc ad alteram monumentorum classem accedo, quae caudem Medusae ipsam ostendunt. Haec monumenta in tres partes dividi possunt, quarum prima Perseum Medusae caput

<sup>1)</sup> A Persei altero latere mulier alata, nomine Meanpe, conspicitur. Haec in numerum daemonum Etruscorum alis praeditorum, qui saepissime in arte Etrusca inveniuntur, referenda est.

<sup>2)</sup> Phorcus secundum Theocritum Chium ap. Fulgent. Myth. I, 26 = Mueller. fr. hist. gr. II 87a pater Medusae erat atque sec. Serv. V. A. V, 824 in insulis Corsica et Sardinia regnabat.

<sup>3)</sup> vid. Roscher. Lex. Myth. I 1731. 1735.

desecantem (*A*)<sup>1)</sup>, secunda ad Medusam inopinantem, ut eam occidat, accendentem (*B*)<sup>2)</sup>, tertia post caedem Medusae aliquid facientem (*C*)<sup>3)</sup> ostendit.

<sup>1)</sup> Ad primam classem referenda sunt:

*A*1. metopa Selinuntia. Benndorf, Die Metopen von Selinunt tab. I. Overbeck. Gr. Plast. I<sup>3</sup> 80 fig. 5.

*A*2. fragmentum paterae Tarquinii rep. Arch. Ztg. 1881 tab. 5, 2. cf. Loeschckium p. 30 not. 3.

*A*3. oenochoa Amaseos n. f. Mus. Brit. 641. Wien. Vorl. 1889 tab.

*A*4. amphora ( $\pi\varepsilon\lambda\tau\eta$ ) r. f. Eremitage 1918. Ant. du Bosph. Cimm. pl. 63 a, 3. 3a.

*A*5. amphora r. f. Gerhard Rapp. volc. no. 419a.

Cetera varii generis monumenta haec sunt:

*A*6. scarabeus. Castellani. Mon. d. J. VI, 24 no. 4. cf. Bullet. d. J. 1858 p. 51. Brunn, Annal. d. J. 1858 p. 386.

*A*7. Figurae aeneae. Gori, Mus. Etr. 145 = Levezow, Gorgonenideal tab. 3, 34 (Gaedechens: „Verzierung eines Löwenfusses“, wahrscheinlich zu einer Candelaber-Basis gehörig).

*A*8. aes Etruscum. coll. Oppermann. Fröhner Mus. de France pl. 20, 5. cf. Bullet. d. J. 1866 p. 123.

*A*9. speculum Etruscum. Mon. d. J. VI, 24, 2. cf. Bullet. d. J. 1858 p. 103. Arch. Anz. 1858 p. 170.

*A*10. ectypon figulinum Etruscum. Mon. d. J. VI. VII, 72 no. 1. 2. 5. Brunn, Annal. d. J. 1862 p. 278 sq.

*A*11. ectypon figulinum Tarsi repertum Gerhard Arch. Anz. 1853 p. 303.

*A*12. pictura parietis. Mus. Borb. XII, 48.

*A*13. nummus aeneus Sebastae. Millin gal. myth. 105 no. 386\*\* = Inghirami Mon. etr. VI tab. L, 4 no. 7 = Levezow Gorgonenideal tab. 5, 54.

*A*14. gemma. Millin. gal. myth. 105 no. 386\*\*\*.

<sup>2)</sup> ad secundam classem pertinent:

*B*1. cylix r. f. pulchri stili ornata. Arch. Ztg. 1846 p. 342 no. 9.

*B*2. vas r. f. pulchri stili. Huebner, Die antiken Bildwerke in Madrid p. 193 no. 391.

*B*3. speculum Etruscum. Gerhard Etr. Sp. V, 67. cf. Bullet. d. J. 1885 p. 201.

*B*4. scarabeus. Mon. d. J. VI, 24, 3. cf. Brunn. Annal. d. J. 1858 p. 386.

<sup>3)</sup> Ad tertiam classem pertinent:

*T*1. crater posterioris aetatis. Gerhard A. V. B. II, 89, 1. 2.

*T*2. amphora r. f. ornata Italica. Mus. Berol. 3022. Mon. d. J. VIII, 34, 1. cf. Kluegmann. Annal. d. J. 1866 p. 443 sq. Bullet. d. J. 1865 p. 165.

Ut arcae Cypseli anaglyphum ad priorem quae fugam Persei praebet classem rettulimus, ita solium Amyclaeum ipsam Medusae caedem ostendisse videtur teste Pausania, cuius verba ad ipsam caedem spectare conici potest (III, 18, 11): *Περσέως τε τὸ ἔργον πεποίηται τὸ ἐξ Μέδουσαν.*

Ut schemata in his quae enumeravi monumentis distinguamus, Medusae figuram animadvertere expedit.

In metopa (*A1*) Medusa in d. versa genu dextro nititur ea, quam nos appellamus „Knielaufschema“, positura; habitus illarum Gorgonum currentium simillimus est, quae in antiquissima arte saepissime inveniuntur atque fortasse ab Ionibus primis excultae sunt (cf. Furtwaenglerum ap. Rosch. Lex. Myth. I p. 1709). A sinistro latere Perseus in d. versus Medusae caput, quod s. m. crinibus capit, gladio desecat capite averso. Eodem modo Amasis (*A3*) figuram componit, praeterquam quod in metopa Minerva a sinistro, in oenochoa Mercurius a dextro Perseum adiuvat. Neque aliud schema pictor paterae Tarquiniensis (*A2*) adhibuisse videtur, quantum e fragmento cognoscere possumus; conspicitur enim Medusae caput et parva pars dextri bracchii Persei gladium tenentis. Ac ne solii Amyclaei quidem imaginem ab his, quas attuli, diversam fuisse conicere possumus, quia antiquissimi septimi et sexti saeculi artifices iisdem fere figuris uti solent. Iam quaeritur, ubi hoc antiquissimum schema ortum sit. Cum Selinus circa annum 628 a Megarensibus condita sit, ad Peloponnesiacam artem ducimur. Sed haec certe aliqua ratione cum Asiatica vel potius Ionica arte cohaeret. Atque cum solium Amyclaeum ab artifice Magnete, Bathycle, factum sit, veri simile est, ut Gorgones ipsas, ita Persei fabulam primis ab Ionicis artificibus tractatam esse. Deinde in arca Cypseli fugam Persei repraesentatam esse iam supra dixi. Hanc autem arcam multis in rebus ab Asiatica arte pendere constat. Fortasse igitur illa quae seiunxi schemata, et caedes Medusae et fuga Persei, ab ionica arte initium ceperunt.<sup>1)</sup>

Posteriore aetate Medusa ambobus genibus nixa invenitur:

<sup>1)</sup> Qua ratione solium Amyclaeum et arca Cypseli cum Asiatica vel potius Ionica arte cohaereant, Loeschcke Dorp. Progr. 1879 p. 10 sqq. 1866 p. 8. 11 coniecit.

in eis monumentis, quae ad quintum et quartum saeculum referenda sunt (A 6. 7. 8. 10).

Hoc schema postea ita commutatum est, ut Medusa non nixa sit genibus, sed subsidat in genua cadens in dextrum. Talem Medusam et in pictura parietis (A 12) et in nummo (A 13) invenimus, in quibus Persei quoque figurae simillimae sunt; magno enim gressu a sinistro latere in Medusam invectus sinistra manu crines capitis eius capit atque retro spectans in Minervam, quae vehementi motu accurrit, dextra manu Medusae caput harpa desecat; illa autem sinistra manu se liberare conatur. Videmus igitur et parietem et nummum similes imagines exhibere, ut ad idem exemplum eas redire probabile sit; post Alexandri aetatem Asiaticum quendam pictorem aut sculptorem caedem Medusae similem in modum repraesentasse conicere possumus. Illis enim temporibus hoc opus ortum esse vel inde appareret, quod pulchrum illud quidem, sed dolorosum gorgoneum in Medusae facie invenitur.<sup>1)</sup> Fortasse ab eodem artifice dolorosa gorgonei forma inventa est.

In alterius quam littera Graeca *B* significavi classis monumentis Medusam in rupe vel humi sedentem aut iacentem ac dormientem conspicimus. Neque vero tam eximiae sunt huius classis imagines, ut accuratius eas tractare atque illustrare nobis opus sit. Alia tamen pictura vascularis hoc loco commemoranda est, quam inter Gorgonum imagines iniuria alii referre solent: dico pyxidem variis coloribus pictam, pulchro figurarum stilo insignem, Athenis repertam, Museo Luporensi asservatam, a Dumontio editam atque illustratam.<sup>2)</sup> His enim verbis usus Dumontius figuras interpretatur: „Le moment de la légende de Persée et de Méduse que l'artiste a choisi est facile à reconnaître. Persée, qui a reçu des nymphes les souliers ailés, πτηνὰ πέδιλα, et le casque d'Adès, Ἄιδος κυνῆ, destiné à le rendre invisible, vient d'arriver en volant au-dessus de la mer occidentale, près de la Nuit, au séjour des Gorgones. Athéna et Hermès, qui

<sup>1)</sup> De hac gorgonei forma vid. Furtwaenglerum ap. Rosch. Lex. Myth. I 1724; gemma (A 14) falsa esse videtur, quia Medusa aegide Minervae instructa est.

<sup>2)</sup> Mon. grecs de l'association pour l'encouragement des études grecs 1878 pl. 2. p. 15 sqq.

l'ont accompagné pour le protéger, l'invitent à poursuivre son entreprise. Il s'élance sur le rivage, en détournant la tête; il ne doit pas regarder Méduse sous peine d'être pétrifié. Méduse dort sur un tertre près d'un arbre, la tête dirigée du côté opposé à Persée, ce qui rendra la surprise plus facile. Le héros va la saisir; une autre Gorgone accourt pour prévenir sa soeur.<sup>“</sup>

At huic interpretationi e variis causis assentiri non possum. Perseus enim prorsus armis caret; dextera protensa certe harpam non tenet. Deinde altera quam Medusam Dumontius vocat Gorgo manum dextram supinam prona sinistra tegit, ut nescio quid caute custodire videatur. Tum altera Gorgo, quam accurrere Dumontius dicit, manibus demissis, ut prorsus egregie pictor expressit, digitos porrigit atque incerto passu ingreditur; haec procul dubio caeca est, ut illam ipsam quoque, quam dormire Dumontius censet, caecam esse contendere possimus. Qua re ad aliam Persei fabulam adducimur atque aliis monumentis collatis non Gorgones, sed Graeas in pyxide pictas esse facile cognoscemus. Duo enim exstant monumenta, quae Graeas repraesentant: pyxis Attica a Boehlavio nuper edita<sup>1)</sup> et speculum Etruseum iam antea notum.<sup>2)</sup> In utroque monumento Perseus oculum Graeis, dum altera sorori tradere conatur, inopinantibus auferre studet. Idem autem momentum ille pictor Atticus exprimere voluit, cum una ex Graeis, ut oculum capiat, ad alteram accedat. Quam occasionem opportunam esse Mercurius Perseo, qui capite reverso verbis dei aures praebet, manu extensa indicat.

Etsi idem momentum in omnibus monumentis ab artificibus expressum est, tamen nonnullis in rebus aliis ab alio discrepat; in pyxide, quae Athenis asservatur, tres Graeae, in speculo Etrusco et in pyxide Luporensi duo apparent, quam discrepantiā in fabulae diversis formis positam esse constat. Hesiodus enim duas esse Graeas tradit (Theog. 270), quibus nomina sunt Enyo et Pephredo; Aeschylus in tragœdia, quae Φορκίδες inscribitur, ad quam Hygini (Astr. 2, 12) et Eratosthenis, qui nomi-

<sup>1)</sup> Mitteilg. d. Athen. Inst. 1886 tab. VH. X.

<sup>2)</sup> Mon. d. J. IX, 56, 2. Annal. d. J. 1873 p. 126 sqq. Simile speculum descriptum est Bulletin épigraphique 1884 p. 152 no. 428. cf. Rosch. Lex. Myth. I, 1738.

natur (Catast. 22), narrationes redeunt, procul dubio eundem Graearum numerum adhibuit, quem Prom. 792 tradit.

*αἱ Φορκίδες ράιονσι δηναιαὶ κόραι  
τρεῖς κυκνόμορφοι.*

At cum Hesiodus neque de oculo quidquam noverit neque Graearum fabulam cum caede Medusae coniunctam esse indicet, in omnibus illis monumentis eandem quam Aeschylus tractat fabulam exhiberi probabile est; nihil secius Hesiodeum quoque artifices respicere vel inde cognoscere possumus, quod et delineator Etruscus duas Graeas repraesentat eisque Hesiodea nomina dat Enyo et Pephredo, et pyxidis Luporensis pictor, quamquam Aeschyleam fabulam illustrare voluit, tamen Hesiodeum numerum videtur retinuisse. Difficilius autem est diuidicare, num Neptunus et Phoreys ex Hesiodi Theogonia deprompti sint, quoniam posterioribus temporibus Persei fabulam varie tractatam esse et Pherecydis et Aeschyli narrationes<sup>1)</sup> demonstrant.

Iam si quaerimus, quomodo cetera monumenta, quae enumeravi, cum Hesiodi Theogonia cohaereant, omnia ad eius narrationem redire contendere non possumus. Sine dubio iam multo antiquioribus temporibus, quam Hesiodeis, fabula de Perseo eiusque factis a poetis tractata atque perulgata erat, ut et monumenta et Hesiodi narrationem ad eundem fontem spectare coniciam. Tamen est, cur de Pegaso et Chrysaore ab Hesiodo commemoratis accuratius disseramus, praesertim cum alia monumenta Pegasum solum, alia et Pegasum et Chrysaorem, cetera omnia neque Pegasum neque Chrysaorem praebeant. Duo enim antiquissima vascula, patera Rhodi reperta (A 1) et patera Berolinensis (B 1), quae e Furtwaengleri sententia ab Atticis artificibus factae sunt atque fortasse usque ad VI. saeculi initium redent, Pegasum alatum solum e collo Medusae occisae exilientem ostendunt. Contra Chrysaorem solum in monumentis multo posterioribus invenimus, velut in vasculo Tarquinensi r. f. ornato (B 12) atque in anaglypho figulino Melio (B 22), quae ad eandem fere aetatem, ad primam saeculi quinti partem, referenda sunt. Non nullis autem in monumentis et Pegasum et Chrysaorem nascentes

<sup>1)</sup> vid. Roscher. Lex. Myth. I 1731. 1735.

videmus. Quorum antiquissimus est sarcophagus Cyprius (B 19), quem sequitur vas Etruscum (B 18) nigris quidem figuris pictum, sed post sextum saeculum factum; recentissimum videtur esse vas Nolanum (A 4).<sup>1)</sup>

Sed priusquam de his monumentis quidquam pro certo affirmare possim, de fabula ipsa dicendum est.

Plurimum enim interest quaerere, qua in regione quaque forma fabula genuina atque vulgaris fuerit. Certe apud Argivos primos antiquissimis temporibus de Perseo eiusque factis fabulae pervulgatae erant; Perseus ipse cum Iove Apesantio, qui antiquitus in monte qui appellatur Ἀπέσας prope Nemeam sito colebatur, sine dubio artissime cohaeret.<sup>2)</sup> De eodem monte Perseus ad Gorgones volasse dicitur<sup>3)</sup>; Mycenarum conditorem eum fuisse omnes Graeci narrant.<sup>4)</sup> Inde fabulam in Asiam translatam esse veri simile est, fortasse ab Argivis ipsis, qui in insulam Rhodum colonias deduxerint. Pegasus autem ad genuinam fabulam Argivam pertinet, quia multae fabulae Argivis cum Corinthiis, qui procul dubio Pegasum excogitaverunt, communes sunt<sup>5)</sup>, quam ob rem in antiquissimis monumentis Atticis et in metopa Selinuntia solus appareat. Sed Chrysaor sine dubio postea additus est, non ab Argivis, sed ab incolis quibusdam Asiaticis, fortasse a Caribus aut vicinis eorum. Nam Chrysaorem cum Iove illo Cario, cui cognomen est Χρυσαορέντιος<sup>6)</sup>, prope Stratoniceam culto, quae urbs antiquissima aetate ipsa Χρυσαορίς appellata erat (Paus. V, 21, 10), nescio quo modo cohaerere constat. Etiam posterioribus temporibus τὸ ἔθνος Χρυσαορέων ibi habitasse inscriptio Mylasensis docet.<sup>7)</sup> Lydiae

<sup>1)</sup> Ab eis quae caudem ipsam repreäsentant monumentis Pegasi et Chrysaoris ortum alienum esse consentaneum est. Eo magis mirandum est in metopa Selinuntia Medusam dextra bracchio Pegasum quasi per prolepsim gestare, qua re originem eius significare, non repreäsentare artifex in animo habebat.

<sup>2)</sup> Paus. II, 15, 3. Bursian Geogr. v. Gr. II 35. Preller-Plew. Gr. Myth. I 100, 2.

<sup>3)</sup> Stat. Theb. III, 60 sqq.

<sup>4)</sup> Paus. II, 15, 4.

<sup>5)</sup> Cogito de Bellerophonte, de Medea et Iasone, aliis.

<sup>6)</sup> Strabo XIV, p. 660.

<sup>7)</sup> Boeckh C. I. G. 2693. cf. II p. 473.

quoque flumen erat Chrysaoras.<sup>1)</sup> Atque deis cognomen *Xρυσαόρης* inditum erat, ut Apollini (Hom. Il. XV, 256), Diana (Herodt. VIII, 77), Cereri (Hom. H. in Cer. 4). Ad Asiam igitur Chrysaor ille Hesiodeus nos traducit; ubi fabula de Chrysaore e Medusa nato exulta esse videtur. Atque Asiaticos artifices primos Chrysaorem simul cum Pegaso finxisse monumenta indicant. Nam sarcophagus ille Cyprius (B 19), in quo primo Chrysaorem et Pegasum invenimus et quem circa sexti saeculi exitum factum esse censeo, ad eandem artem, fortasse Ionicam, spectat, quacum ectypion figurinum Melium cohaerere videtur.<sup>2)</sup> Itaque e fabula vulgari ac domestica artifices Asiatici hauserunt.

Contra aliter de vase Nolano (A 4) iudicandum esse puto; in quo Pegasus et Chrysaor prorsus aliter ac in ceteris omnibus monumentis repraesentati sunt: ille alatus ad caelum volat, hic puerulus humi in dextrum latus quasi serpens appetet. Licet igitur nobis statuere huius imaginis auctorem fuisse memorem Hesiodi, qui Pegasum ad Iovem in Olympum volantem, Chrysaorem in terra remanentem facit v. 284:

χὼ μὲν ἀποπτάμενος προλιπὼν χθόνα μητέρα μῆλον  
ἴκετ' ἐς ἀθανάτους· Ζηρὸς δὲν δώμασι ναίει,  
βροντὴν τε στεροπὴν τε φέρων Διὰ μητιόεντι.

De aetate huius vasculi aliquid pro certo affirmare difficile est; anaglyphis ornatum est; stilus figurarum, et corporum et vestium, ad recentiorem aetatem spectat. Evidem de quinto saeculo cogitaverim.

Apparet igitur, ut in Promethei imaginibus, ita hic singulos artifices ab exemplo tradito aberrare Hesiodi verbis commotos.

#### 4. De Typhoeo.

Quoniam Maximilianus Mayerus<sup>3)</sup> de Typhoei et natura mythologica et imaginibus accuratissime egit et Alfredus Bruecknerus<sup>4)</sup> fastigium illud e poro lapide factum, quod Iovis cum

<sup>1)</sup> Steph. Byz. s. v. *Μάσταρης*.

<sup>2)</sup> cf. Furtwaenglerum ap. Rosch. Lex. Myth. I 1710.

<sup>3)</sup> M. Mayer., Die Giganten u. Titanen 135. 215. 225. 274. Preller-Robert, Gr. Myth. I 63.

<sup>4)</sup> Mitteil. d. Athen. Inst. XIV 67 tab. II. III.

Typhoeo pugnam exprimit, e fragmentis in Athenarum arce erutis felicissime restituit, unum restat, ut quaeramus, num cum Hesiodi poesi (Theog. 820 sqq.) aliquo modo haec monumenta cohaereant. Qua in re e Typhoei figura proficiscendum esse puto, quae cum in monumentis nunquam nomine adscripto significata sit, e poetarum scriptorumque verbis primum delineanda est.

Ac primum quidem in Aeschyli versibus (Sept. 474 sqq.), quibus Hippomedontis scutum describitur,

*Τυφῶν' ιέντα πύρπνοον διὰ στόμα  
λιγνὸν μέλαιναν, αἰόλην πυρὸς κάσιν.  
ὅφεων δὲ πλεκτάναισι περίδρομον κύτος  
προσηγδάφισται κοιλογάστορος κύκλου,*

M. Mayerus (l. l. p. 274) serpentes non pro pedibus habendos esse, sed caput ipsum circumdare mea sententia recte statuit, quod e verbis „περίδρομον κύτος προσηγδάφισται ὅφεων πλεκτάναισι“ apparere iure ille contendit. Solum igitur caput Typhoei, gorgonei simile, medio scuto affixum erat.

Iam vero quale reliquum Typhoei corpus fuerit, quaeritur.

Aaccuratissime Apollodorus (I, 6, 3) formam Typhoei describit, cum dicit: ὡς δὲ ἐκράτησαν οἱ θεοὶ τῶν Γιγάντων, Γῆ μᾶλλον χολωθεῖσα μίγνυται Ταρτάρῳ καὶ γεννᾷ Τυφῶνα ἐν Κιλικίᾳ, μεμιγμένην ἔχοντα φύσιν ἀνδρὸς καὶ θηρίου. Οὗτος καὶ μεγέθει καὶ δυνάμει πάντων διήνεγκον ὅσους ἐγέννησε Γῆ, ἦν δὲ αὐτῷ τὰ μὲν ἄχρι μηρῶν ἄπλετον μέγεθος ἀνδρόμορφον, τὰ δὲ ἀπὸ μηρῶν σπειρας εἶχεν ὑπερμεγέθεις ἔχιδνῶν· πᾶν δὲ αὐτοῦ τὸ σῶμα κατεπτέρωτο, αὐχμηροὶ δὲ ἐκ κεφαλῆς καὶ γενείων τρίχες ἐξηνεμοῦντο, πῦρ δὲ ἐδέρκετο τοῖς ὅμμασι.

E serpentibus et humano corpore superiore Typhoeus commixtus est. Eodem modo Aeschyleum illum Typhoeum num cogitare possumus? At obstant αὐχμηροὶ τρίχες, quas Apollodorus commemorat. Contra cum Hesiodeis verbis Aeschyleus Typhoeus consentire videtur. Hesiodum enim, cum Typhoeum his verbis describit Theog. 823

*οὗ χειρες μὲν ἔστιν ἐπ' ἴσχυί τρόγματ' ἔχοντας  
καὶ πόδες ἀκάματοι κρατεροῦ θεοῦ· ἐκ δέ οἱ ὄμμων  
ἥν ἐκατὸν κεφαλαὶ ὄφιος, δεινοῖο δράκοντος,*

γλώσσησιν δυοφερῆσι λελιχμότες, ἐκ δέ οἱ ὅσσων  
θεσπεσίῃς κεφαλῆσιν ὑπ' ὄφρύσι πῦρ ἀμάρυσσε,

non de monstro e serpentibus et humano corpore composito,  
sed de integro humano corpore cogitare demonstrant verba  
„ἀκάματοι πόδες“, quae ad serpentium corpora referri non pos-  
sunt; contra serpentes centum „ἐκ δὲ ὄμων“ erant, i. e. ex  
humeris procrescere videbantur atque caput ipsum circumdabant.  
Eadem autem Typhoei facies Aeschylo ante oculos versabatur.

Ad has duas formas accedunt τρισώματοι Τυφῶνες (Eur. Herc. 1271)<sup>1)</sup>, qui cum Geryoneo Peloponnesiaco comparari possunt.

Nunc autem videamus, qualem Typhoeum praebeant artis monumenta. In solio Amyclaeo Typhoeus simul cum Echidna ita expressus erat, ut Tritonibus ex altera parte positis responderent<sup>2)</sup>; Tritonibus igitur simillima corpora Typhoei et Echidnae fuisse conicere nobis licet, i. e. ut illi cum piscibus, ita hi cum serpentibus commixti erant, quod et cum Apollodori Typhoeo et cum Hesiodi Echidna<sup>3)</sup> optime consentit. Eandem autem formam cum monstrum illud, quo cum Iupiter in hydria Monacensi 125<sup>4)</sup> pugnat, habeat, ad Typhoei fabulam hanc pugnam summo iure referimus, quamquam in pictura vasculari nomen adscriptum non est.

Minus certa est pictura hydriae Mus. Brit. 443 ap. Micalium Mon. ined. 37, 2<sup>5)</sup>, ubi duo dei cum simili monstro pugnant.

Dubium autem mihi videtur, num eadem monstra omnia<sup>6)</sup>, quae sine Iove una cum variis avibus aut floribus in antiquissimis vasis Corinthiis et variis monumentis Etruscis apparent,

<sup>1)</sup> Lectio certa est auctoritate Plutarchi de Alex. M. fort. 10 p. 341 E, quem locum M. Mayer p. 217 not. 145 citat.

<sup>2)</sup> Paus. III, 18, 10: ἐν ἀριστερῇ δὲ Ἔχιδνα ἔστηκε καὶ Τυφώς, ἐν δὲ δεξιᾷ δὲ Τρίτωνες.

<sup>3)</sup> Hes. Theog. 298.

ἥμισυ μὲν νύμφην ἐλικώπιδα καλλιπάρογον,  
ἥμισυ δὲ αὐτεῖς πέλωρον ὄφιν δεινόν τε μέγαν τε  
ποτίσιλον ωμηστὴν ζαθέης ὑπὸ κενθεσι γαίης.

<sup>4)</sup> Gerhard A. V. B. III, 237 = Baumeister, Denkm. III 2135 fig. 2393. cf. M. Mayer l. l. p. 275 no. 3.

<sup>5)</sup> cf. Mayer p. 278 no. 4.

<sup>6)</sup> cf. Mayer p. 275 no. 2. p. 278 a—i.

Typhoei nomine vocanda sint. Fortasse, ut in Centaurorum et Gorgonum figuris, forma iam antea exculta ad Typhoei figuram formandam adhibita est. Neque vero in omnibus regionibus eadem Typhoei figura nota erat, cum Hesiodo et Aeschylo forma daemonis cuiusdam antiquissimi, Phobi aut Gorgonis similis, ante oculos versari videtur.

Novam autem formam fastigium Brueckneri nobis praebet: tria enim corpora eodem modo coniuncta sunt, quo in arca Cypseli et vasis Corinthiis atque Atticis Geryoneus appetat; praeter eos serpentes, qui pro pedibus cum humano corpore coniuncti sunt, alii serpentes parvi ex humeris procreescunt; accedunt magnae alae duplices, quae tergo adhaerent. Ab illa igitur forma in solio Amyclaeo expressa sculptorem fastigii profectum esse appetat, ita tamen, ut simul Geryonei exemplum imitaretur; ipse autem num hanc formam invenerit, certum non est. Nec certius, unde parvos illos serpentes sumpserit: utrum ex Hesiodo, qui centum tribuit serpentes Typhoeo, an ex suo ingenio, ut horridior aspectus esset.

Certe ceteris in rebus Typhoeus illius fastigii ab Hesiodeo discedit; neque tamen hac re demonstratur artificem Hesiodi fabulam non secutum esse.

Maiores autem difficultates nobis sinistra fastigii pars parat, quam Bruecknerus recte, ut opinor, ita restituit, ut Hercules impetum faciat in magnam serpentem, quam Echidnam esse veri simillimum est, cum aliud monstrum cum Typhoeo nihil commune habeat. Dixerit igitur quispiam sculptorem fastigii Hesiodo auctore usum esse, qui Echidnam Typhoei uxorem esse multaque alia monstra peperisse Theog. 305 sqq. dicat.

Cui opinioni multa mihi videntur obstare. Matrimonium Echidnae et Typhoei in fabulis Asiaticarum gentium ortum esse arbitror, quia *εἰν Αράωντς* Typhoeum Homerus (Il. B 781), Echidnam Hesiodus (Theog. 304) habitasse tradit.<sup>1)</sup> Eisdem e fabulis Bathycles Magnes Echidnam et Typhoeum coniuges sumpsit, cum solium Amyclaeum ornaret, nisi vero quisquam dicit Hesiodi Theogoniam etiam Bathyclem secutum esse. In Boeotia scilicet

<sup>1)</sup> cf. Mayer p. 137 not. 192. Preller-Robert, Gr. Myth. I 64 not. 1, 2.

quamquam *Tυφαόνιον*, quod vocatur, ὕρως situm erat<sup>1)</sup>), tamen qualis fuerit fabulae forma, ignotum est. Deinde si sculptor Hesiodi versus ante oculos habuisset, non serpentem, sed talem Echidnam, qualem Hesiodus describit, e muliere et serpente compositam reddidisset. Atque secundum Hesiodi auctoritatem symmetriae praecepta observare et sinistram dextramque fastigii partes similes sculpere facile fuisset. Tum de Hercule, adversario Echidnae atque Iovis socio, Hesiodus nihil novit. At enim fieri potest, ut suo arbitrio artifex et Echidnae adventum et Herculis auxilium ipse sibi finxerit, ut egregium hoc esset exemplum, quo artificum opera ad vulgares fabulas et commutandas et amplificandas vim habuisse demonstraretur. At illa quae iam protuli argumenta tam gravia sunt, ut huic sententiae assentiri non possim. Itaque eandem fabulam in fastigio servatam esse puto, cuius vestigia M. Mayerus l. l. p. 217 ex Eur. Herc. 1271 atque Plut. de Alex. M. fort. 10 p. 341 E in lucem protulit.<sup>2)</sup> Hi autem auctores rem obiter tangunt, quia Hercules non Typhoei ipsius adversarius est, sed Iovis cum Typhoeo pugnae ita interest, ut Echidnam Typhoeo auxilio venientem vincat. Quae fabula ubi orta sit, difficile est dictu. In Boeotia ignota fuisse videtur, quia Hesiodus de Hercule et Echidna nihil novit.

Apparet igitur sexto saeculo varias fabulas de Typhoeo notas fuisse; neque causa est, cur alia monumenta ad Hesiodi Theogoniam redire iudicemus.

Idem de Iovis ortu dicendum est.

## 5. De Iovis ortu.

In ara Romanae aetatis, quae in Mus. Capitol. adservatur<sup>3)</sup>, anaglyphum conspicitur, quod ad eandem fabulam pertinet, quam Hesiodus Theog. 453 sqq. de Iovis ortu tradit.

Saturnus enim cum se per suum filium interitulum esse Urani et Gaeae oraculo audivisset, quoscunque liberos Rhea uxor pepererat, devoravit. Itaque cum in eo esset, ut Iupiter ipse

<sup>1)</sup> Hesiod. scut. Herc. 32. schol. Pind. Ol. IV, 11. Tzetz. Lykophr. 177. cf. Preller-Robert I 64, 2.

<sup>2)</sup> cf. Bruecknerum l. l. p. 72.

<sup>3)</sup> Overbeck K. M. tab. III, 24. Mueller-Wieseler D. A. K. II, 804.

nasceretur, Uranus et Gaea in insulam Cretam Rheam miserunt, ubi Saturni crudelitate evitata Iupiter natus atque in monte Aegaeo nutritus est. Pro infante autem Rhea lapidem involutum (*σπαργανίσασα*) coniugi dedit, qui inopinans eum devoravit.

Eadem fabulae forma num apud Cretenses ipsos cogitata sit, incertum est. Quamquam certe aliae exstabant fabulae, quae a Theogonia discederent<sup>1)</sup>, ex ipsius poetae ingenio illam fabulae formam profluxisse contendere nobis non licet, praesertim cum ille lapis ad Iovem spectare videatur, qui Delphis sub lapidis forma colebatur.<sup>2)</sup>

Romanum vero artificem Hesiodo fabulam debere absurdum esset contendere. Celerrime de Iovis ortu fabulae in omnes Graeciae partes pervulgatae sunt. Atque iam Praxiteles, qui in templo Iunonis Plataeensi Rheam Saturno lapidem „*σπαργάνος κατειλημένον*“ tradentem fecerat (Paus. IX, 2, 7), e vulgari fabula atque opinione communi haurire potuit.

## 6. De ara Pergamena.

Puchsteinus (Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1888 p. 1231. 1889 p. 323) in ara Pergamena figuræ deorum dearumque cum gigantibus pugnantium ita compositas esse, ut certa genealogia cohaereant, magna cum probabilitate contendit. Atque imprimis Hesiodi Theogoniam praeclarissimus ille artifex, cui dispositionem aerae Pergamene debemus, multis in figuris respexisse videtur. Ubi enim maris dei deaeque pugnant, multi inveniuntur, quos Hesiodus certa genealogia coniungit: Oceanus, cuius uxor Tethys est (Theog. 337), filiam habet Doridem (Theog. 240), quae Nereo cum multas alias, tum praecepit Amphitriten (Theog. 243) perperit; atque ex Amphitrita Neptuno Triton natus est (Theog. 931). Hae autem omnes figuræ in occidentali et septentrionali latere aerae compositæ sunt (cf. Puchstein. p. 324). Deinde sequuntur Graeae, Enyo et Pephredo, atque Gorgones sorores, Euryale et Medusa, quae apud Hesiodum (Theog. 270) artissime cum maris numinibus coharent (cf. Puchstein. p. 332). Tum in orientali atque meridionali latere apparent Phoebe Asteria Hecate Latona

<sup>1)</sup> cf. Preller-Robert I 55 not. 2.

<sup>2)</sup> Hesiod. Theog. 197. Schoemann op. acad. II 254.

Apollo Diana. Phoebe enim, uxor Coei, mater est Asteriae atque Latonae ap. Hesiod. Theog. 406. 409; atque cum Asteria ac Latona progenies coniuncta est, cum illa Hecate (Theog. 411), cum hac Apollo et Diana (cf. Puchstein. p. 324. 335). Denique Theia, quae in orientali latere inter Lunam Solem Auroram conspicitur, ex Hesiodi Theogonia sumpta esse videtur, ubi v. 371 illorum numinum mater appellatur; atque eodem Hesiodo auctore (Theog. 135. 136) Theia una cum illa Phoeba ab Urano nata est, qui in eodem aerae latere expressus est. Tamen incertum est, utrum ex ipsa Hesiodi Theogonia, an ex alio fonte, qui ex Hesiodo pendet, artifex genealogiam illarum figurarum hauserit (cf. Puchstein. p. 327).

## 7. De Herculis cum Cycno pugna.

Dignissima inter eas quae Hesiodi propriae sunt fabulas est memoria pugna ab Hercule cum Cycno commissa, quae in Scuto quod vocatur Herculis tradita est.

Sed praeter Hesiodum a Stesichoro Cyeni fabulam tractatam esse constat, ut operae pretium sit quaerere, quibus in rebus hic ab illo discrepet.

Hesiodus enim hoc fere modo fabulam narrat (scut. Herc. 57 sqq.): Hercules simul cum Iolao socio ad Ceycem regem<sup>1)</sup> Trachinem, in oppidum Thessaliae, pergens in luco Apollinis Pagasaei<sup>2)</sup> Cycno cum Marte patre curru vehenti<sup>3)</sup> obviam fit.

<sup>1)</sup> De hoc consilio Hercules ipse loquitur v. 353. cf. Diod. IV, 37.

<sup>2)</sup> Locus pugnae in aliis fontibus alias est. Euripides (Herc. 389). Anaurum fluvium commemorat, ad quem Cyenum a Ceyce rege sepultum esse Hesiodus v. 477 narrat. Itonum, urbem Phtiotidis, a qua non longe aberat locus Pagasaeus, Herculem praetervectum esse Apollodor. II, 7, 7, 4 et Diod. IV, 37, 4 tradunt; Nic. Dam. fr. 55 (= Mueller, fr. hist. gr. III 389, 55) Itonum oppidum Achajae commemorat. Deinde ut Echedorum, Macedoniae fluvium, altero loco Apollod. II, 5, 11, 3 commemorat, ita Penei Pausanias (I, 27, 6) mentionem facit. Prorsus aberrat schol. II. Ψ 346, qui ad Trozena pugnam commissam esse dicit.

<sup>3)</sup> Martis filius Cycnus semper appellatur; de matre antiquissimi fontes silent; varia autem matris nomina posteriores afferunt, velut Apollod. II, 7, 7, 4 et Nic. Dam. fr. 55, Pelopiam, Pyrenam idem Apollod. altero loco (II, 5, 11, 3) alium fontem secutus.

Quem quamquam Hercules adhortatur, ut sibi cedat (v. 350), tamen Martis auxilio fretus cedere non vult. Itaque postquam uterque subito de curru desiluit, dum quadrigae prope eos versantur (v. 368), magno sonitu concurrunt: Cyenus hasta in scutum adversarii demissa damnum ei non affert; Hercules Minerva adiuuante hostem ita vulnerat, ut humi prosternat. Tum Mars filio subventurus, quamquam Minerva eum, ut absistat a pugna, monet, tamen hastam in Herculem abicit neque eum attingit, quod Minerva eam celeriter declinat. Deinde autem gladio deus ab Hercule vulneratus atque profligatus a Deimo et Phobo servis in currum portatur atque in Olympum reducitur. Dum Minerva quoque ad deos redit, Hercules et Iolaus ad Ceycem regem se conferunt, qui postea Cyenum sepelit.

Stesichorus quomodo fabulam tractaverit atque commutaverit, schol. Pind. Ol. XI(X), 19 = Bergk. poet. lyr. gr. <sup>3</sup> III 978 no. 12 docet. Nam in carmine, quod *Κύκνος* inscribebatur, non ab initio Herculem viciisse, sed primum a Cyeno Marte adiuuante fugatum esse narravit, deinde autem viciisse et occidisse Cycnum, cum solus esset, finxit (*αὐτὸν μόνον γενόμενον ἐνίκησεν καὶ ἀπέκτεινε*). Pindaro quoque illo loco, ad quem scholiasta verba adnotat, fugisse Herculem notum est (*τράπε δὲ Κύκνεια μάχῃ καὶ ὑπέρβιον Ηρακλέα*), quod certe non ipse excogitavit; scholiasta enim cum Stesichori narrationem referat (*Στησίχοος ἐν ἐπιγραφομένῳ Κύκνῳ ἴστορετ*), carmine eius Pindarum usum esse certe significat.

Haec autem fabulae forma mihi duabus e causis esse mira videtur, primum quod deus filium, quem antea adiuverit, postea deseruisse dicitur, deinde quod filio imperfecto Herculem propter facinus punire non studet. Itaque scholiastam in fabula Stesichori reddenda nonnulla omisisse censeo, praesertim cum ea, quae affert, magno, quod videtur, carmini non satisfaciant. Quas difficultates quoniam et aliis testibus et monumentis ipsis arcensis dirimi posse puto, cetera omnia, quae ad rem faciunt, testimonia nunc percensebo.

Ac primum quidem de causa pugnae scholiasta ex Stesichoro, ut videtur, haec narrat: *ὅτι ἵπποξενος ἦν Κύκνος νιὸς τοῦ Ἄρεος καὶ ἐν παρόδῳ τῆς Θετταλίας οἰκον ἀπεκαρατόμει τοὺς παριόντας, ναὸν τῷ Ἄρει βουλόμενος ἐκ*

*τῶν κεφαλῶν οἰκοδομῆσαι καὶ αὐτῷ παριόντι ἐπιβούλεῦσαι  
ἡθέλησε.* Latro igitur Cyenus erat atque, ut alios viatores,  
ita Herculem cum Iolao praetervehentem ingressus est. Neque  
tamen dijudicari potest, num Hercules, ut apud Hesiodum, ita  
apud Stesichorum ad Ceycem regem iter faciat; fortasse ab ipso  
Apolline emissus est Cyeni puniendi vel interficiendi causa.  
Depravati autem mores Cycni per totam antiquitatem noti erant;  
Pausanias (I, 27, 6) aliam historiolam narrat, qua docetur, quam  
multis ille pernicie fuerit (*τοῦτον τὸν Κύκνον φασὶν ἄλλους  
τε φονεῦσαι καὶ Λύκον Θρῆνα προθέρτων σφίσι μονομαχίας  
ἀθλον*).

Deinde ex Euripide, quem Anaurum fluvium memorare  
iam supra not. 2 dixi (Herc. 389), illud tantum videmus Cyenum  
non hasta, sed sagittis interfectum esse. In Alcestide autem (504)  
Euripides breviter ad rem alludit.

Ceterorum autem testium plurimi ipsam caedem paucis verbis  
commemorant, velut Plut. Thes. 11. Apollod. II, 7, 7, 4. Diod.  
IV, 37, 4. Nic. Dam. fr. 55. Duo modo testes insignes sunt:  
Apollod. II, 5, 11, 3 et Hygin. f. 31, quorum verba exscribere  
expedit.

Apollodorus enim dicit:

*πορευόμενος οὖν ἐπὶ ποταμὸν Ἐχέδωρον ἤκε. Κύκνος  
δὲ Ἀρεος καὶ Πυρήνης εἰς μονομαχίαν αὐτὸν προνυκλεῖτο. Ἀρεος δὲ τοῦτον ἐκδικοῦντος καὶ συνιστάντος μονομαχίαν, βληθεὶς κεραυνὸς μέσος ἀμφοτέρων διαλύει τὴν μάχην.*

Utrunque eandem fabulae formam tradere luce clarius est.  
Quae ita ab Hesiodo differt, ut Hercules et Mars inter se om-  
nino non certent, quamquam hic illum graviter punire vult, sed  
a Iove vel potius fulmine Iovis dirimantur. Quo est similius  
veri ad eundem fontem Apollodorum et Hyginum redire, quo-  
niam alio modo alter cūm altero non potest coniungi. Apollo-  
dorus autem brevius quam Hyginus fontem exscripsit, sed „*ἐξ-  
δικοῦντος*“ vox postulat, ut Hercules Cyenum iam occiderit,

Hyginus autem narrat:

Cyenum, Martis filium, armis  
superatum occidit. Quo cu-  
m Mars venisset et armis  
propter filium contendere vellet  
cum eo, Iovis inter eos fulmen  
misit atque ita eos distraxit.

quod Hyginus expressis verbis dicit. Hygini vero verba cum Stesichori fabula, quam scholiasta ille Pindari tradit, optime congruunt. Nam ex verbis „*Cycnum, Martis filium, armis superatum occidit. Quo cum Mars venisset*“ appetet antea Martem non adiuuisse filium, ut Herculi facile fuerit adversarium interficere. Solum autem etiam apud Stesichorum fuisse Cycnum, cum eum Hercules iterum aggrederetur, scholiasta expressis verbis testatur: *ἀλλ’ ὑστερον αὐτὸν μόνον γενόμενον ἐνίκησεν ὁ Ἡρακλῆς καὶ ἀπέκτεινε.*

Itaque Apollodorum et Hyginum eam narrationis Stesichori partem referre existimo, quam scholiasta Pindari locum interpretatus omittere posse sibi visus est. Scilicet illi non ex ipso Stesichori carmine hauserunt, sed ex eodem compendio fabulari, de quo Beethius (quaest. Diod. Gott. Diss. 1887) atque Wilamowitzius (Eur. Herac. I 168) disseruerunt. Incertum sane est, quomodo Hercules iterum Cycno obviam iverit atque cur Mars filium suum non adiuverit. Fortasse repentinum impetum Hercules in Cycnum fecit. Neque vero ex insidiis Cycnum imperfectum esse conicere nobis licet, velut Actoriones, heroes illos Peloponnesiacos, per dolum ab Hercule necatos esse Hesiodus narrat (vid. fr. 32 Rzach. Pind. Ol. XI(X), 25 sqq.). Nam ad verum certamen et scholiastae (*ἐνίκησεν καὶ ἀπέκτεινε*) et Hygini verba (armis superatum occidit) spectant. Neque certius est, num verba Euripidis (Herc. 389) cum Stesichorea fabula coniungi possint; poterat sane fieri, ut Stesichorus etiam de armatura Herculis ab Hesiodea fabula discederet atque arcum, quem ceteroquin habere solet, ei daret.

Es his tribus testimoniis (schol. Pind. l. l. Apollod. II, 5, 11, 3. Hygin. f. 31) Stesichori carminis argumentum colligendum esse maiore cum probabilitate contendere poterimus, si nobis contingit, ut Apollodori et Hygini narrationem iam aetate Stesichori vulgatam fuisse demonstremus, id quod e monumentis, quae exstant, docebo.

Ea quae Herculis cum Cycno pugnam exprimunt monumenta enumerata vel tractata sunt a Braunio (Bullet. d. J. 1837 p. 89 sqq. 1839 p. 6 sqq.) deinde ab Engelmanno (Arch. Ztg. 1879 p. 187 not. 5), tum ab Heydemanno (Annal. d. J. 1880 p. 78 sqq.), qui Pamphaei in pictura vasculari illustranda cetera

omnia monumenta copiose tractavit. Cum autem non tam omnia monumenta enumerare aut illustrare, quam exempla in certum ordinem redigere atque schemata discernere mea intersit, Heydemanni numeris neglectis alias classes constituendas esse censeo. In tres enim partes ille omnia monumenta divisit, quarum prima Herculem et Cyenum solos pugnantes (no. 1—3), altera praeter eos Minervam et Martem, illam Herculem, hunc Cyenum filium adiuvantem (no. 4—12), tertia super hos Iovem fulmine pugnantes dirimentem exhibet (no. 14—24).

Contra ego duas tantummodo classes statuo, quarum prior ea monumenta, in quibus Iupiter deest, posterior contineat ea, in quibus Iupiter pugnae additus est. Nam mox videbimus Iovis figuram non casu omissam aut spati implendi causa additam esse, sed aliam fabulae formam indicare.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Litterae A et A vascula nigris figuris, B et B vascula rubris figuris ornata, C alia monumenta significant. Ad priorem classem, in qua Iupiter deest, pertinent:

A 1 = H 5. lecythos Chalcidica. Mus. Syracus. Inscriptiones additae sunt (C. I. G. 7612). cf. Bullet. d. J. 1839 p. 7. Annal. d. J. 1835 p. 38. Kretschmer (Kuhn's Zeitschrift N. F. IX 386) in numerum Chalcidicorum vasculorum habet propter formam Αθηναῖη.

A 2. hydria Mus. Greg. II, 10, 1. 1 a. b.

A 3 = H 7. amphora Mercuri. Bullet. d. J. 1837 p. 90. 91. C. I. G. 7613.

A 4 = H 7. amphora Vescovali. Bullet. d. J. ibid.

A 5 = H 8. hydria Monac. 48. Bullet. d. J. 1839 p. 9. Klein, Meistersign.<sup>2</sup> p. 131, 3.

A 6 = H 9. hydria. coll. Feoli. Campana Cat. 19. Nunc in Mus. Wuerzburg. III no. 129 servata.

A 7 = H 2. amphora Chalcidica. Mus. Monac. 1108. Bullet. d. J. 1839 p. 8. Kirchhoff, Studien<sup>4</sup> p. 126.

A 8 = H 1. amphora Attica. Lutet. Paris. Millingen Anc. uned. mon. 38 = Mueller-Wieseler D. A. K. I 19 no. 96 C. I G. 7610.

A 9 = H 4. amphora. Mus. Florent. Heydemann, Mittlg. aus Antiken-samml. 3. Hall. Winckelmannsprogr. p. 84 no. 2.

A 10 = H 10. hydria. Mus. Florent. Heydemann ibid. p. 88 no. 26. Annal. d. J. 1877 p. 179.

B 1 = H 6. patera Camiri effossa. Mus. Brit. Journal of philol. VII pl. A. B. cf. Percy Gardner p. 215. Comment. Mommsen. p. 171 no. 30. Brunn, Sitz.-Ber. der Bair. Akad. 1880 I p. 179. 211.

Quod ad schemata attinet, plerumque in utraque monu-

B2. patera Pamphaei Mus. Cornet. Mon. d. J. XI, 24. Wien. Vorlbl. Ser. D tab. 5. cf. Bullet. d. J. 1877 p. 113; Annal. d. J. 1880 p. 78. P. J. Meyer Arch. Zeitg. 1884 p. 239. Klein, Meistersign.<sup>2</sup> p. 92, 13.

B3 = H11. patera. coll. Canino. Gerhard A. V. B. II, 84. 85. Cf. O. Jahn, Annal. d. J. 1869 p. 182 not. 4.

C1 = H3. scarabeus Etruscus. Mus. Brit. Micali Storia 116, 1 = Mueller-Wieseler, D. A. K. I 63 no. 322 = Annal. d. J. 1880 tab. M, 1. Fabretti, C. I. Ital. 2530.

C2 = H12. poculum ex aere factum Mus. Rhen. Bonn. Jahrb. d. Ver. f. A. i. d. Rh. I, 1, 2 p. 50 (Urlichs). cf. Panofka, Monatsber. d. Berl. Akad. 1837 p. 71.

Ad alteram classem, in qua Iupiter additus est, pertinent:

A1 = H14. lecythus Attica. Mus. Athen. Collignon Cat. 198. Heydemann, Gr. V. I, 4.

A2. amphora Camiri rep. Torr, Rhodes pl. 6 B b. cf. Furtwaengler. ap. Rosch. Lex. Myth. I 2210. Heydemanno ignota erat.

A3 = H18. amphora. Mus. Monac. 81. Gerhard A. V. B. II, 121, 2.

A4 = H19. amphora Basseggio. cf. Bullet. d. J. 1839 p. 89. 1840 p. 56. Gerhard A. V. B. II, 121, 1.

A5 = H21. lecythus. Annal. d. J. 1880 tab. M. 3. 3a.

A6 = H20. vas. Mus. Civ. Bologn. 1587. cf. Bullet. d. J. 1879 p. 56. Heydemann, Mitteilgen. p. 59.

A7 = H22. hydria. de Witte cat. étr. 133. Bullet. d. J. 1835 p. 164. Él. céram. I 2.

A8 = H13. oenochoe Colchi. Mus. Berol. 1732. Gerhard A. V. B. II, 122. 123. Wien. Vorlbl. 1889 tab. 1 no. 2 b. cf. Bullet. d. J. 1835 p. 163. 1839 p. 6. Klein. Meistersign.<sup>2</sup> p. 48.

A9 = H17. holmos Caeret. Mus. Vindob. cf. Bullet. d. J. 1865 p. 143.

A10 = H16. amphora. Mus. Brit. 552. Cat. I p. 109, 4. cf. Journal of philology VII p. 222.

A11 = H15. fragm. crateris Attici. Mus. Brit. Heydemann Mitteilgen. p. 59 no. 143. Annal. d. J. 1880 p. 88.

A12. patera Nicosthenis. Mus. London. 560. Overbeck, Atlas z. K. M. IV, 7. cf. II 346, 10. Bolte de monum. ad Odyss. pertin. Diss. Berol. 1882 p. 53 no. 29. Max Mayer, Giganten u. Titanen p. 297 not. 62.

A13. patera Glaucytae. Mus. Berol. 1799. Gerhard A. V. B. I, 61. 62. Klein, Meistersign.<sup>2</sup> p. 78.

A14. fragm. amphorae (a colonnette). Mus. Berol. 3987.

Ad has quas constitui classes non pertinent separatimque tractanda sunt:

mentorum<sup>1)</sup> parte Hercules et Cyenus, hic a Marte, ille a Minerva adiuvatur; interdum quadrigae adduntur, quibus Minerva et Mars modo adstant, modo, ut in Hesiodea narratione, insistunt.<sup>2)</sup> Contra in oenochoa Colchi (A8) aurigae sunt Herculis Jolaus, Martis Phobus. Praeter Minervam aut Martem aliae minoris momenti figurae adiunguntur, quae ceteros deos accurentes repraesentant<sup>3)</sup>; in oenochoa Colchi figuris nomina adscripta sunt: iuxta quadrigas accurrunt a sinistro Neptunus<sup>4)</sup> a dextro Apollo; in finibus imaginis Bacchus et Nereus conspicuntur. Compendiosam autem imaginem monumenta praebent, quae A7.8. C2 notavi, quorum pictores Herculem et Cyenum expressisse satis habuerunt.

Figurarum dispositio in vasis nigra pictura ornatis fere eadem est. Hercules semper a sinistra parte in dextrum versus procedit atque plerumque adversarium sinistra manu aut capere studet aut re vera capit.<sup>5)</sup> Cyenus modo Herculem aggreditur, modo reversa facie fugit<sup>6)</sup>; cadentem autem Cyenum nonnulla exempla praebent<sup>7)</sup>; semel (A9) retro cadit. Unus Colchus in figuris disponendis a ceteris ita discedit, ut Cyenus iam profligatus humi iaceat, super eum Hercules et Mars arma pro-

*α)* amphora rubris figuris pulchri stili ornata. coll. Iatta 1088. Arch.

Ztg. 1856 tab. 88. Heydemann no. 24.

*β)* anaglyphum ex argilla rubra factum aetatis Romanae. Gaz. arch. III tab. 12, 1. Heydemann no. 23.

Excludenda sunt duo vascula: alterum nigris figuris ornatum Lut. Paris. servatum (Campana VII, 755. Klein, Meistersign. 2 p. 115, 3), alterum rubris figuris exornatum ap. Gerhard. A. V. B. II, 224. Hercules enim obstat barbato viro armato. Apud Gerhardium adversarius Herculis inscriptione, cuius reliquiae sunt litterae *KAON*, instructus est. Hae sine dubio *Ανχάων* significant, qui ap. Eur. Alc. 503 una cum Cyeno Martis filius atque Herculis adversarius est. Ad eandem pugnam alterius vasculi pictura referenda erit.

<sup>1)</sup> A1—4. B1. C1. A1—7.

<sup>2)</sup> A5. 6. B2. A8—11.

<sup>3)</sup> A9. 10. B3. A7—11.

<sup>4)</sup> vid. scut. 104.

τιμῆσ σὴν κεφαλὴν καὶ ταύρος Ἐρυσίγαιος,  
δὲ Θήβης χρήδεμνον ἔχει όνεταί τε πόληα.

<sup>5)</sup> A2. 5. 7. 9. 10. A4.

<sup>6)</sup> A1. 2. 5. 7. A2. 3. 9. — A8. 10. A1. 4. 5. 6. 7.

<sup>7)</sup> A2. 4. 5.

tendant; Iupiter autem inter pugnantes fulmen gestans intercedit, ut eos dirimat.<sup>1)</sup> Qua dispositione Iovis figura medium imaginis locum tenet atque magis excellit quam in ceteris vasis.

De Nicosthenis atque Glaucytae vasis (A12. 13) infra accuratius disseram. In lecytho Attica (A 1) omnes quinque figurae ad pugnam pertinentes, Hercules Cycnus Iupiter Minerva Mars, ab utroque latere singulis equitibus cinguntur. Hi equites, qui nusquam in aliis Cyeni monumentis inveniuntur, sine dubio ex antiquissimis certaminum imaginibus translati sunt atque servos herorum pugnantium repraesentant.<sup>2)</sup>

In vasis rubris figuris ornatis severioris illius dispositionis legibus abiectis novae et pingendi et disponendi rationes inveniuntur. Sola Pamphaei pictura (B2) a ceteris omnibus ita discrepat, ut in ea symmetriae praecepta paene usque ad minutias observata sint.

Restat, ut de vestitu Herculis et Cyeni nonnulla addam. Cycnus enim paene semper plena armatura instructus est. Hercules, ut in aliis monumentis, ita hic plerumque chitone atque pelle leonis vestitus est<sup>3)</sup>, praeterea pharetram portat modo in tergo, modo in latere<sup>4)</sup>; deinde plerumque gladium stringit<sup>5)</sup>; raro clavam vibrat dextra manu.<sup>6)</sup> Eandem speciem in aliis quoque monumentis Hercules praebet. Singulare autem est eum interdum hasta armatum esse<sup>7)</sup> atque scutum sinistra manu gestare<sup>8)</sup>; quin etiam in A 7 non leonis pellem, sed *θορακα* portat, cuius rei causam infra afferam. Contra arcum, qui eius proprius est, nisi in A 13 nunquam tendit.

Nomina singularum figurarum aut ex inscriptionibus aut e dispositione vel schemate facile est cognoscere. Una Pamphaei patera (B2) interpretibus maiores difficultates videtur

<sup>1)</sup> Superior Jovis figurae pars mutilata est, sed recte emendata, ut eiusdem schematis A cetera exempla demonstrant.

<sup>2)</sup> Huius rei exemplum egregium praehet vas Sicyonium Achillis et Memnonis pugnam repraesentans ap. Overbeckium Her. Gall. 22, 1.

<sup>3)</sup> A 2. 5. 8. 9. 10. B 1. 2. C 1. 2. A 1—5, 7—9. 12. 13.

<sup>4)</sup> A 2. 7. 9. 10. A 3. 4.

<sup>5)</sup> A 7. 9. 10. B 3. A 1—4.

<sup>6)</sup> A 1. 2. C 1. 2. A 6.

<sup>7)</sup> A 8. B 1. 2. A 7. 8. 9. 12.

<sup>8)</sup> A 8. B 1—3. A 2. 7—9. 12.

praebere. Hercules enim barbatus, chitone pelle leonis scuto hasta ocreis praeditus, hasta scutoque protensis adversarium aggreditur, qui plena armatura instructus est. Ab utraque parte quadrigae conspiciuntur, quarum aurigae ab heroibus pugnantibus aversi sunt, nisi quod Herculis auriga caput revertit. Supradicatis duo pueri parvi alati ad pugnam advolant, quorum sinister flores manibus tenet.

Ac primum quaerendum est, et cum utro Hercules pugnet, cum Cyeno an cum Marte; et quomodo auriga ille respiciens appellandus sit. Si adversarius Herculis Cycnus esset, Martem patrem, ut in Hesiodi scuto, eum adiuvare exspectaremus, praesertim cum quadrigae additae sint; ergo Mars esset ille vir, qui in quadriga stans ad pugnam respicit, quod cum Hesiodo optime congrueret. Nunc vero illum aurigam Heydemannus (Annal. d. J. 1880 p. 96) Colchi patera nisus, ubi Phobum et Iolaum aurigas inscriptiones ( $\Phi O \Sigma - IOI$ ) testantur, Phobum appellavit atque re vera P. I. Meyerus (Arch. Ztg. 1884 p. 239) patera denuo accurate inquisita inscriptionem  $\Phi O B O \Sigma$  invenit. Itaque si re vera illa figura Phobus esset, aut Mars esset Herculis adversarius aut Martis locum ut adiutoris Cygni teneret Phobus. At hoc absurdum esse mihi videtur neque ullis exemplis probatur; illud cygni imagine in scuto adversarii pieta refutatur, qua pictor *Kύκνος* sine dubio significare in animo habebat. Accedit, quod de inscriptione Phobi prorsus aliter mihi videtur iudicandum esse. Quae mea quidem sententia ad illum aurigam omnino pertinere non potest. Nam Meyerus ipse haec dicit: „Helbig erkannte (Bullet. d. J. 1877 p. 114) rechts von der Flügelfigur auf Kyknos' Seite  $O\Sigma$ , was er zu  $\chi\alpha\lambda\circ\varsigma$  ergänzte. Doch steht deutlich  $\Phi O B O \Sigma$  da, der Name des Wagenlenkers, und hierdurch wird Heydemann's, auf grund der Berliner Kanne bei Gerhard A. V. B. 122 aufgestellte Vermutung, die Figur sei  $\Phi\circ\beta\circ\varsigma$  zu nennen, bestätigt.“ Quod cum Heydemannus non recte statuerit, iniuria Meyerus sequitur. Nam ex ipsis Meyeri verbis apparet inscriptionem omnino non prope aurigam, sed prope puerum alatum a dextro ad pugnam advolantem inveniri, ut archaeologicae interpretationis elementis servatis ad puerum illum alatum referenda sit: hic ergo Phobus est. Scilicet hic Phobus non ille daemon terribilis est, quo Aga-

memnonis scutum in arca Cypseli ornatum erat aut quem Hesiodus (scut. Herc. 144 sqq.) describit, sed Martis servus, quem Colehus quoque equos Martis regentem facit, et qui apud Hesiodum (scut Herc. v. 463 — 466) una cum Deimo deum ab Hercule vulneratum e pugna portat atque in Olympum reducit:

*τῷ δὲ Φόβος καὶ Δεῖπος ἐύτροχον ἄρμα καὶ ἵππους  
ἥλασαν αἷψ' ἐγγύς, καὶ ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης  
ἐς δίφρον θῆκαν πολυνδαίδαλον· αἷψα δ' ἔπειτα  
ἵππους μαστιέτην· ἵκοντο δὲ μακρὸν Ὀλυμπον.*

Itaque sinistrum puerum alatum Deimum appellare licet. Pamphaeus autem quoniam, quaecunque in pugna acciderunt, una eademque pictura pingere non potuit, per Phobum et Deimum ad pugnam volantes exitum pugnae Marti fatalem significare volebat. Si quis Martem armis carere contradicat, symmetriae causa Pamphaeum arma Martis omisso monendum est; nam Iolaus ipse quoque, Herculis socius, arma non habet, praeterquam quod aurigarum habitus utriusque proprius est. Ii vero, qui alterum puerum dextrum tristem, alterum sinistrum laetum esse dixerunt, mihi plus in figuris invenisse videntur, quam artifex exprimere studebat.

Quae cum ita sint, fieri non potest, quin Pamphaeum Hesiodi carmen accurate novisse statuamus. Deinde quaerendum est, quae ratio inter duas quas distinxii classes intercedat.

Quod ad alterius classis monumenta attinet, in quibus Iupiter additur, non desunt, qui eum sine certa significatione eodem fere modo, quo multas alias figuras spatii explendi causa, inseri vel omitti posse dixerint. Velut Furtwaenglerus ap. Rosch. Lex. Myth. I 2210 haec dicit: „ . . . Dieser Typus ward nun zuweilen noch erweitert durch Hinzufügung verschiedener herbeieilender oder zuschauender Gottheiten (cf. Berlin 1799. 1732); viel häufiger jedoch ward er verkürzt, namentlich durch Weglassung der Gespanne oder durch Weglassung des trennenden Zeus.“ Atque similia Engelmannus (Arch. Ztg. 1879 p. 188) profert. Videntur illa quidem alterius classis vasa, quae Iovem ostendunt, antiquiora esse: usque ad primam VI. saeculi partem, quin etiam ad saeculi initium, referenda sunt. At prioris classis

vasa omnia cum illis comparari non posse valde dolendum est, quia minor eorum pars delineata est. Certe omnium quae novimus monumentorum antiquissimum erat solium Amyclaeum, cuius de imagine Pausanias III, 8, 10 haec paucissima verba facit: *Ηρακλέονς μονομάχια πρὸς Κύκνον*. E quibus si schema illud duorum pugnantium antiquissimum hic adhibitum esse conidere nobis licet, ad priorem quam Latinis litteris significavi classem pertinere videtur. Huc accedit, quod exempla alterius classis ita confecta esse plane cognoscere possumus, ut inter schematis A figuras Iupiter intercalaretur, qua re simplex schema supervacanea figura onerari videtur. Itaque Colchus, maioris ingenii pictor, vel fortasse is, quem Colchus imitatus est, artifex schemate tradito repudiato aliud adhibet: eorum, qui supra virum iam occisum pugnant, qua ipsa re Iupiter propriam accipit vim. Quibus de causis id schema, quod Iovis figuram exhibet, mihi non videtur primarium ac genuinum esse. Cur autem illa intercalata sit, fabula a scriptoribus tradita docet: sine dubio in posterioris classis monumentis eadem fabula repraesentatur, quae ab Apollodoro et Hygino narratur. Quam iam initio VI. saeculi vulgatam fuisse monumenta ipsa demonstrant. Atque eadem aetas ad Stesichori vitam optime quadrat.<sup>1)</sup> Suidas enim Stesichorum Ol. 37—56 = 632—550 vixisse tradit; Rhode (Rh. Mus. 33, 198) ab Alemanis aetate profectus Stesichori poesin VII. saeculo exeunte floruisse iudicavit. Ut autem Stesichori carmen ab Hesiodi fabula discrepat, ita monumenta posterioris classis a priore classe discedunt. Neque igitur facere poterimus, quin posterioris classis pictores a Stesichori carmine pendere vel potius, ut Iovis figuram inter schematis traditi figuratas intercalarent, commotos esse censeamus.

Quid autem priore schemate faciamus, quod antiquius atque genuinum esse mihi persuasi? Hesiodeamne fabulam eius artifices repraesentare dicere possumus?

Sine dubio iam Hesiodus suo arbitrio fabulam vulgarem tractavit, quod praecipue e Deimi et Phobi adventu cognosci

<sup>1)</sup> De diversis poetis, quibus Stesichori nomen est, hoc loco disserere supervacaneum est. cf. Welcker kl. Schriften I 149. Boeckh. C. I. G. II p. 319. Agitur autem de antiquissimo atque praeclarissimo, cui carmen Cycni tribendum est.

potest, quorum auxilium ad exemplum Hypni et Thanati, qui Sarpedonem interfectum auferunt, a poeta videtur esse fictum. Quae autem ad Apollinis Pagasaei cultum pertinent, e vulgari fabula hausit. Sed cum Mars Cyeni pater per totam antiquitatem omnibus notus sit<sup>1)</sup>, Minerva autem in plurimis Herculis factis adiutrix esse soleat, ut poeta, ita ii artifices, qui Herculem et Cycnum, illum a Minerva, hunc a Marte adiutum repraesentabant, e vulgari fabula haurire poterant; eodemque modo solii Amyclaei imaginem ortam esse veri simile est.

Aliter rem se habere puto de iis imaginibus, in quibus quadrigae sive a deis, sive ab Iolao et Phobo vel aliis incertis aurigis rectae adduntur: has ab Hesiodo pendere censeo. Pamphaeum vero certe Hesiodi carmen bene novisse iam supra exposui.

Certissima autem argumenta nobis praebent arma Herculis, de quibus iam supra dixi. Mirum enim est in nonnullis monumentis Herculem hasta et scuto armatum esse, quae arma ab eius vestitu aliena sunt (cf. A 7. 8. B 1. 2. 3. A 2. 7. 8. 9. 12). Fortasse quispiam dixerit Herculem ob id ipsum his armis instructum esse, quia cum Cycno, i. e. cum milite omnibus armato pugnet. At ne cum Geryoneo aut Amaconibus quidem pugnans Hercules hasta aut scuto praeditus est.<sup>1)</sup>

Itaque quoniam ex artis legibus arma Herculis declarari non possunt, dubium non esse potest, quin illi artifices carmen Hesiodicum sequantur. Eius enim poetam armaturam Herculis, quamquam ab eius habitu aliena erat, ipsum sibi ideo finxisse aperatum est, ut exemplum Homeri imitatus scuti imagines describeret. Eadem autem ex re discrepantiae quaedam in eis versibus, qui descriptioni antecedunt, optime intellegi possunt. Neque enim omnibus in rebus probandi sunt sermones Herculis et Iolai, quos vv. 83—121 continent. Nam primum quae Hercules de caede Electryonis, de Amphitryonis fuga, de suo ipsius atque Iphielis ortu dicit (v. 84—94), non ad rem quadrant neque cum pugna periculosa congruunt; versus sequentes (95—101), quibus Her-

<sup>1)</sup> Exstat unum exemplum: vas n. f. Mus. Berol. 2007, ubi Hercules, Geryonei adversarius, magno scuto armatus est. Hoc unum exemplum meae sententiae non obstat; immo vero hoc in vase de Cycni pugnae imaginibus scutum translatum est.

cules Iolaum adhortatur, aliqua ratione cum re ipsa cohaerent. Deinde quod sequentibus versibus (108 sqq.) Iolaus Herculem, ut arma induat, admonet, valde mirandum est; nam antecedentibus versibus Hercules simul cum Iolao in curru stat neque armis carere potest. Has discrepantias nulla ex alia re intellegere possum nisi, quod poeta, ut ad scutum transire posset, eam armaturam, quae Herculis propria non est, commemorare coactus erat, ita ut more Homericō eos, qui audiebant, longis sermonibus delectaret atque Herculem arma induentem ficeret.

Itaque si ab ipso poeta arma Herculis inventa suoque arbitrio adhibita sunt, artifices, qui eadem pingunt, illum sequi appetet. Neque id obstat, quod in vasis, quae ad Stesichori auctoritatem supra relata sunt (*A7—9*), Hesiodi armaturam invenimus. Ex his, quae attuli, cognoscitur iam VI. saeculi initio Hesiodeum carmen, quod scutum Herculis inscribatur, eandem formam, quam nunc, habuisse.

Neque igitur omnia monumenta antiquiora, quae ad Cyeni fabulam pertinent, ab Hesiodo pendent, sed idem hic statuendum est, quod de Prometheo ac Medusa supra demonstratum est: Hesiodi carmen causam fuisse, cur schema arte iam excultum commutaretur atque amplificaretur.

Nunc de hydria illa rubris figuris ornata disserere expedit, quam a ceteris exemplis seiunxi atque littera α significavi. Videmus enim Herculem, qui postquam sua arma, pellem leonis pharetram clavam arcum, depositus, galea scuto ocreis indutus a Minerva longam hastam accepturus est, quam dea a sinistra parte stans ei paratam habet. A dextra parte iuvenis stat armatus galea scuto hasta ocreis. Iuxta quem bigam videmus, cuius equi a iuvene armato reguntur. In media pictura iuvenis nudus conspicitur, coronatus, dextra manu stirpem quandam parvam gestans; hic sine dubio Apollo appellandus est. A sinistro eius latere Erinyes sedet. Totius imaginis in dextro latere iuvenis Thracum habitu insignis appareat, quem tuba, quam dextra manu tenet, praecponem significat. Figurae secundum Polygnoti rationem dispositae sunt; stilus autem earum est quarti saeculi.

Welckerus (Arch. Ztg. 1856 p. 177) ad pugnam Herculis cum Amazonum regina commissam picturam rettulit. Heydemannus primus (Bull. d. J. 1871 p. 222. Annal. d. J. 1880 l. l.

no. 24) eam ad Cycni fabulam pertinere iudicavit. Quam sententiam, quamquam Engelmannus (Arch. Ztg. 1875 p. 21. 1879 p. 186) refutare conatus est, probandam esse censeo. Hercules enim pugnam parat atque suis armis depositis scuto galea hasta se armat, quae arma sine dubitatione ad Cycni fabulam referre nobis licet. Quod confirmatur figuris Apollinis atque Erinyos. Adversarius Herculis est Cycnus; Mars in curru stat. Quaeritur autem, utrum Hesiodi, an Stesichori fabulam pictor quarti saeculi secutus sit. Ad illum spectant arma atque Minervae auxilium; aquila quoque Iovis, quae a dextro latere advolat, Herculis victoriam significat; apud hunc Hercules in primo impetu fugatur atque postea Marte absente victoriam reportat. Itaque quia Herculis victoria aperte significatur, Mars autem filium adiuvat, Hesiodeam fabulam a pictore tractatam esse iudicamus, ut etiam quarto saeculo Hesiodi scutum apud Atticos vulgare fuisse appareat.

Quin etiam Romana aetate Cycni fabula ignota non erat, quod demonstratur poculo ex aere facto (C1) atque anaglypho ex argilla rubra facto ( $\beta$ ), inscriptionibus Latinis praedito. In illo iam prostratus est Cycnus ab Hercule, Mars autem adiutor vel potius ultor filii accurrit; in hoc adversarius Herculis est Mars, qui ex inscriptionibus cognosci potest („adesse ultorem nati me credas.“ — „virtus nunquam terrori potest.“); in basi autem sedent Iupiter, Minerva, Victoria. Opifex anaglyphi Stesichori fabulam tractare videtur, quam e compendio fabulari haustram esse consentaneum est.

Restat, ut de Nicosthenis et Glaucytae pateris (A12. 13)<sup>1)</sup>, quae Iovem intervenientem ostendunt, nonnulla addam.

In Nicosthenis patera inter duas quadrigas in dextrum vehentes tres personae pietae sunt: Iupiter et Minerva, ille fulmen portans, haec hastam porrigens, obsistunt viro hasta armato, in sinistrum verso. In dextra quadriga, prope quam vir ille

<sup>1)</sup> Heydemannum haec vascula effugerunt, quod ad gigantomachiam antea referebantur. Glaucytae pateram primus Furtwaenglerus (Catal. I 304 no. 1799) recte interpretatus est, alteram M. Mayerus (Gig. u. Tit. p. 297) in numerum nostrorum vasorum rettulit, cum Gigantes curru vehi nullis in monumentis demonstraret.

armatus stat, iuxta aurigam alter quoque vir armatus apparet, qui ea quae in medio accident magna diligentia observat. In sinistra quadriga iuxta aurigam Herculem pellem leonis portantem, scuto hastaque se defendantem pictor facit. A sinistro latere Mercurius ad pugnam festinat; deinde in extrema parte duae figurae sequuntur, quibus certa nomina tribui non possunt. In altero latere homo quidam pugnam relinquit, iuxta quem alter stat. Praeterea duae figurae reliquae sunt: iuxta Herculis quadrigam in dextrum festinat figura iuvenis alis praediti, quae fortasse ad pugnae vim referenda est; iuxta Cycni quadrigam mulier quaedam in sinistrum manum protendens.

Glaucytae paterae in utroque latere eadem fere repraesentata sunt; sed quia vasculum valde destructum atque nostro saeculo refectum est, non omnia quae de singulis figuris Furtwaenglerus in catalogo Berolinensi accuratissime affert, repetam, sed ea tantum modo commemorabo, quae a Nicosthenis pictura diversa sunt. Ac primum quidem in medio non tres figurae, sed Iupiter solus apparet in dextrum currens atque fulmen vibrans; in altera parte paterae ad Herculem respicit. Minerva in quadriga Herculis aurigae locum tenet. In altera quadriga ante Iovem in dextrum versa non auriga et vir armatus, ut apud Nicosthenem, sed duo viri armati apparent, quorum alter retro versus hastam vibrat atque scuto corpus obtexit. Inter ceteras figuras, quae aut accurrunt aut fugiunt, unus Mercurius cognosci potest.

Sine dubio apud Glaucytam adversarii Herculis in curru stantes Mars et Cycnus sunt; eorumque fugam pictor repraesentare in animo habebat. Iupiter autem Herculem illos fugantem adiuvare videtur: in altero paterae latere oculos convertit in hostes fugientes, in altero retro vertit in Herculem, quasi postquam ipso adventu illos fugavit, Herculem impedire velit, quominus illum sequatur aut interficiat. Herculem arcum tendentem atque iuxta Minervam in curra pugnantem artifex e gigantomachiae imaginibus sumpsit, quod Mayerus l. l. recte monet. Nicosthenes autem, quamquam sine dubio eandem fugam exprimere vult, tamen Iovi et Minervae virum armatum, sive Cycnum, sive Martem, opponit. Quod ita intellegere possumus, ut Iupiter Martem vel Cycnum a pugna arceat atque fulmine fuget.

Certe Cyenus in utroque vase omnino non interficitur ab Hercule, sed fuga salutem petit.

Tertiam igitur fabulae formam haec vasa nobis praebent, quam pictores ipsi sine dubio sibi finixerunt, quia in poesi nusquam eius vestigia inveniuntur.

Iam vero summam disputationis nostrarae subducere iuvat.

Theogoniam Hesiodi nonnullis in fabulis ad imagines componendas aliquam vim habuisse certum est. Novem enim Musarum nomina Hesiodea Clitias, pictor vasis Francoisii, Theogoniae ita debuit, ut illos versus accurate memoria teneret. Deinde artifici quoque arcae Cypseli Hesiodeam Theogoniam notam fuisse cognovimus. Tum ea, quae Prometheum, sive vinctum, sive ab Hercule liberatum ostendunt, monumenta docent pictores nonnullorum et Chalcidensium et Atticorum vasorum, quae ad primam VI. saeculi partem referenda sunt, schema Promethei vincti traditum ob id ipsum commutasse, quia Hesiodeos versus (Theog. 521. 522) falso interpretati sunt. Contra pictor Cyrenaeus, qui et Atlantis et Promethei poenas in una patera composuit, Hesiodi Theogoniam quasi illustrare imagine in animo habebat.

Quid igitur ex his, quae attuli, docetur? Iam initio sexti saeculi non solum in Euboea, in Attica, apud Corinthios, sed etiam apud Cyrenaeos Theogonia Hesiodi vulgaris omnibusque nota fuit.

Etiam posterioribus temporibus, i. e. quinto saeculo artifices Hesiodeas fabulas imagine repraesentavisse basis Iovis Olympici demonstrat, ubi Phidias ortum Veneris eodem fere modo, quo Hesiodus narrat, anaglypho expressit. Atque ut Veneris ortum in Iovis basi repraesentavit, ita Pandorae ortus imagine basim Minervae, quae erat in Parthenone constituta, ornavit. Eandem fabulam iam ante Phidia aetatem pictores Attici tractaverant. Itaque ἔργα quoque Hesiodi quinto saeculo in Attica tantum valuisse dicemus, ut eam ipsam fabulam, qua Opera insignia sunt, dignam, quae imagine repraesentaretur, artifices putarent.

Ex eis quae Persei fugam caudemque Medusae praebent vasis unum (A4) a ceteris omnibus ita discrepat, ut opificem de

Hesiodea Persei commemoratione, qua Pegasus in Olympum volat, Chrysaor in terra remanet, cogitasse coniciamus. Ut Promethei pictores vasculares, ita hic artifex carmine Hesiodi commotus schema vulgare suo arbitrio commutat.

Aliter res se habere videtur de Rhea pro Iove infante lapidem Saturno tradente. Quae fabula cum cultu ac religione tam arte cohaeret, ut artifices e vulgi opinione hausisse videantur.

Typhoei vero fabula Hesiodea mea quidem sententia cum fastigii Atheniensis figuris non consentit. Neque alia monumenta ab illa pendere causa est, cur iudicemus. In ara denique Pergamena utrum ex Hesiodi Theogonia, an ex alio fonte, qui ex illa pendet, nonnullarum figurarum dispositio deprompta sit, dubium est.

In Cyeni pugnae imaginibus pictores vasorum sexti, quinti, quarti saeculi schema ita commutaverunt, ut Herculi Hesiodea arma, quae ab eo aliena sunt, tribuerent. Pamphaeus autem Deimum et Phobum, quos Martis servos esse atque deum necatum in Olympum reducere Hesiodus narrat, eo consilio addit, ut exitum pugnae indicet. Atque quam arte cum poetarum narrationibus artificia cohaereant, ea fabulae forma docet, quae a Stesichoro excogitata est: ut hic Iovem pugnantes, Martem et Herculem, a pugna arcentem facit, ita artifices eiusdem aetatis Iovis figuram schemati tradito inserunt. Novum autem schema Colchus, pictor Atticus, adhibet, ut Iovis figura magis excellat. Haec igitur exempla docent, quam notum fuerit Scutum Herculis inde a VI. saeculo usque ad quartum praecipue in Attica.

<b>Diss. philolog. Halenses.</b>	Vol. VII.	1886.	M. 10,00
Inhalt:	Graetzel, P., De pactionum inter graecas civitates factarum ad bellum pacemque pertinentium appellationibus formulis ratione. — Brinck, A., Inscriptiones graecae ad choregiam pertinentes. — Roellig, E., De codicibus Strabonianis, qui libros I—IX continent.		
— Vol. VIII.	1887.		M. 7,00
Inhalt:	Roellig, P., Quae ratio inter Photii et Suidae lexica intercedat. — Nebe, A., De mysteriorum Eleusiniorum tempore et administratione publica. — Kalkoff, G., De codicibus epitomes Harpocrationeae. — Herforth, E., De dialecto Cretica.		
— Vol. IX.	1888.		M. 8,00
Inhalt:	Reinecke, G., De scholiis Callimacheis. — Rosenboom, J., Quaestiones de Orphei Argonauticorum elocutione. — Kausche, W., Mythologumena Aeschylea.		
— Vol. X.	1890.		M. 8,00
Inhalt:	Liermann, O., Analecta epigraphica et agonistica. — Keil, G., De Flavio Capro grammatico quaestionum capita II.		
— Vol. XI.	1890.		M. 9,00
Inhalt:	Hildebrand, A., De verbis et intransitive et causative apud Homerum usurpatis. — Pusch, H., Quaestiones Zenodoteae. — Meiners, W., Quaestiones ad scholia Aristophanea historica pertinentes.		
<b>Genethliacon Gottingense.</b>	Miscellanea philologica in honorem seminarii regii philologici Gottingensis scripserunt philologi Gottingenses XXIV.	1888. gr. 8.	M. 7,00
<b>Grulich,</b> O., Quaestiones de quodam hiatus genere in Homeri carminibus instituit.	1876. gr. 8.		M. 2,40
<b>Gutsche,</b> G. O., Quaestiones de Homericu Hymno in Cererem.	1872. 8.		M. 1,20
(Aus den Dissertationes philologicae Halenses vol. 1.)			
<b>Heydemann, H., Hallische Winckelmannsprogramme.</b>	No. I—XIII.	4.	
I.	Zeus im Gigantenkampfe. Mit 1 Tafel.	1876.	M. 2,00
II.	Die Knöchelspielerin im Palazzo Colonna zu Rom. Mit 2 Tafeln und 2 Holzschnitten.	1877.	M. 3,00
III.	Mittheilungen aus den Antikensammlungen in Ober- und Mittelitalien. Mit 6 Taf. u. 7 Holzschn.	1878.	M. 10,00
IV.	Verhüllte Tänzerin. Bronce im Museum zu Turin. Mit 1 Tafel und 2 Holzschnitten.	1879.	M. 2,00
V.	Satyr- u. Bakchennamen. Mit 1 Doppeltafel.	1880.	M. 3,00
VI.	Gigantomachie auf einer Vase aus Altamura. Mit 1 Doppel-tafel.	1881.	M. 2,00
VII.	Terracotten aus dem Museo Nazionale zu Neapel.	Mit 3 Tafeln und 1 Holzschnitt.	1882.
			M. 3,00

**Heydemann, H., Hallesche Winckelmannsprogramme.**

- VIII. Alexander der Grosse und Dareios Kodomannos auf unteritalischen Vasenbildern. Mit 1 Doppeltafel und 2 Holzschnitten. 1883. *M. 2,00*
- IX. Vase caputi mit Theaterdarstellungen. Mit 2 Tafeln und 2 Holzschnitten. 1884. *M. 2,00*
- X. Dionysos Geburt und Kindheit. Mit 1 Doppeltafel und 1 Holzschnitt. 1885. *M. 4,00*
- XI. Jason in Kolchis. Mit 1 Doppeltafel 1886. *M. 2,00*
- XII. Pariser Antiken. Mit 2 Taf. u. 8 Holzschn. 1887. *M. 7,00*
- XIII. Marmorkopf Riccardi. M. 2 Taf. u. 2 Holzschn. 1888. *M. 2,00*
- XIV. **Robert, C.**, Der Pasiphae-Sarkophag. Mit 4 Tafeln. 1890. *M. 2,00*

**Heydemann, H.**, Nereiden mit den Waffen des Achill. Ein Beitrag zur Kunstmythologie. Mit 5 Tafeln. 1879. Fol. *M. 8,00*

**Hymni et sequentiae** cum compluribus aliis et latinis et gallicis necnon theotiscis carminibus medio aevo compositis quae ex libris impressis et ex codicibus manuscriptis saeculorum a IX usque ad XII partim post M. Flacii Ilyrici curas congregavit variisque lectionibus illustravit et nunc primum in lucem prodidit G. Milchsack. Pars I. 1886. gr. 8. Ausgabe auf Druckpapier *M. 8,00*

Ausgabe auf Büttenpapier *M. 20,00*

Ausgabe auf Büttenpapier in 3farb. Druck *M. 30,00*

**Körting, G.**, Dictys und Dares. Ein Beitrag zur Geschichte der Troja-Sage in ihrem Uebergange aus ger antiken in die romantische Form. 1874. 8. *M. 5,00*

**Maué, H. C.**, Die Vereine der Fabri, Centonarii und Dendrophori im römischen Reich. I. Die Natur ihres Handwerks und ihre sacralen Beziehungen. Mit einem Anhang enthaltend die Inschriften. 1886. 4. *M. 2,40*

— Der Praefectus Fabrum. Ein Beitrag zur Geschichte des römischen Beamtenthums und des Collegialwesens während der Kaiserzeit. Mit einem Anhang, enthalt. die Inschriften. 1887. 8. *M. 5,00*

**Peppmüller, R.**, Ueber die Composition der Klagelieder im vierundzwanzigsten Buch der Hias. 1872. 4. *M. 0,75*

**Sophokles**, König Oedipus, übersetst von E. Müller. 1885. kl. 8 *M. 1,20*